BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III

XX
C
39

IO. GVILIELMI HOFFMANNI
D. ET HISTORIAR. PROFESSORIS
IN ACAD. WITTEB. PVBL.
ORDIN.

OBSERVATIONVM IVRIS GERMANICI LIBRI DVO.

FRANCOFVRTI ET LIPSIAE
SVMTIBVS HAEREDVM LANKISIANORUM
ANNO MDCCXXXVIII.

LECTORI
AEQVO AC BENEVOLO.

QUas ad Ius patrium, & praeſertim ad priſcas Germanorum leges luſi magis, quam ſerio labore ſcripſi, obſeruationes, vt exiguae ſunt molis, ita non adeo multarum noctium lucubrationibus conſtare, ſi vel diſſimulauerim, ex ipſa ſpecie ſcriptionis intelligerent omnes. Itaque iudicium certo praeuiſum confeſſione mea prudens anteuerto, haud equidem ignarus, eam reprehenſione non eſſe carituram, vtique inter homines ſectae cuiusdam non contemnendae, quae partui literario Lucinam ante nonum annum fauere negat, & vt numquam crudi labores placerent, ita praeſertim hoc coniecturarum genus, quale conuiuis meis apponere auſus ſum, poſt-

quam nouitatis blanditiae diſparuerunt, rurſus formandum, ac velut recoquendum eſſe contendit. Sed quis dedocebit homines meliora doctos deteriora ſequi? Ego, qui magnis operibus & grandia pollicentibus properatum editionis honorem magis nocere, quam prodeſſe, non conceſſerim tantum, verum etiam contenderim, cur luſus meos cunctationis lege contineri crederem? aut cur ſomnia quaedam ad Leges antiquas, quorum aliqua pars mihi forte per portam eburneam aduolauit, altero ſtatim die renunciare vererer? Nec magnum damnum haec alea faciet, nec lucrum magnum. Proſpiciant ſibi largo & curioſo apparatu grandium nauigiorum exercitores; mihi nec longum nec periculoſum iter ingredienti vel vnius remi cymbam ſufficere puto, vel trabem.

Itaque non vereor repetere, binos harum obſeruationum libellos, cum alia omnia meditarer, mihi ſimul & natos eſſe, & excidiſſe. Cum enim a Viadro nuper migrarem ad Albim, & vt in eiusmodi migrationibus fieri ſolet, a libraria ſupellectile ſeparararer, & quod ſeparationem per ſe acerbam,

bam, meo etiam iniquo fato diuturniorem, quam aut ego merebar, aut quisquam aequo animo ferre posset, consequitur, labores affectos & inchoatos per aliquot menses e manibus deponere cogerer, accidit, vt ad exemplum eorum, qui, quando nihil agunt, de amoribus suis cogitant, ego quoque per eas horas, quae mihi ab annalibus & memoriae publicae tabulis vacuae relictae erant, ad veteres delicias meas Leges cogitando reuerterer. Atque vt ille priscorum Germaniae iurium late patens & a maioribus nostris neglectus campus non mediocri adhuc cura & cultura opus habet, & ad eum nemo se facile conuertit, quin aliquid noui quotidie vel legendo inueniat, vel cogitando detegat, ita cum a grauioribus scriptionibus mihi vacationem indictam esse viderem, facile tamen aliquot id genus obseruationes spargere potui, quas vel in itinere scripseris.

Faterer, me magnis eorum exemplis, qui Iurisprudentiam Romanam obseruationibus suis illustrarunt, excitatum esse, vt simile quid tentarem in Germanica, nisi hanc confessionem, & quae sequitur, labo-

rum ac consiliorum comparationem inuidiae subiacere praeuiderem. Quicquid illa cauilletur, si ceteris laudibus, quas aliqui obseruationum Romani Iuris auctores magno suo merito collegerunt, infirmitatis meae memor renuncio, hanc tamen qualemcunque similitudinem in libellorum & capitum breuitate, & argumentorum varietate, & quae nascitur inde voluptate positam, concedet, & forte hoc vnum laudis genus eripere non poterit, quod quamuis non vsquequaque felici successu, viam tamen affectauerim illis adamatam, qui domi nata venum exponere malunt, quam ab aliis tradita reddere, & qui pedem potius intra limen continent, quam vt alienis vestigiis semper insistant. Quod cum euitari vix possit in libris magnis, & qui scientias vniuersas complectuntur, ita in hoc obseruatiunculas scribendi genere flores colligere possumus adhuc recentes, certe qui nondum per plures manus circumlati sunt, adeoque nec emarcuerunt, quales vt essent mei, si optauerim, optarem, quod etiam efficere, quantum mediocritate valui, gnauiter contendi.

Atque

Atque ille nondum indicata obſeruandi, vel coniecturas nouas proponendi labor, cum in quibusdam ſcientiis feliciter ceſſerit, vellem vt in plurium officinis reciperetur. Ita enim magno faſtidio leuaremur, & qui delicati ſunt ſtomachi, librorum lectionem non adeo reformidarent, & finis eſſet querimoniarum, quod in multis conuiuiis exiles dapes ſuperforent, ſi primus coquus iniiceret manum, & offulas ſibi ſublectas recoquentibus eriperet. In iure Germanico certe, quod tanta morum & conſuetudinum multitudine ac varietate conſtat, nulla certior proficiendi ratio poſſet haberi, quam ſi ſuae quisque prouinciae leges & ſtatuta, & quicquid in eorum vel ſententia vel verbis notatu dignum latet, aut obſcuritate tegitur, hoc ſcribendi genere candidus impertiret ac explicaret, & hoc magnum nauigium, quod multis remis opus habet, prout ſua cuique ſtatio vel dexteritas permittit, in altum propelleret. Vt hoc felicius eueniret, primum neceſſe erat, totum huius iuris aequor ſecundum praecipuarum gentium & aetatum mores velut delineatione quadam deſcribere, & quam late pateat vni-

uerſum, quibusue fluctibus ſecundum varias tempeſtates commotum ſit, illis, qui ſaltem aliquam partem nauigaturi ſunt, praecipere. Hoc autem nuper rara doctrinae praeſtantia effecit vir in vtraque Iurisprudentia magnus, IOANNES GOTTLIEB HEINECCIVS, qui velut vetus & peritus gubernator littora, & portus, & ſcopulos, & quid in hoc aequore, ſi vel huc vel illuc appellere velis, ratis poſcat, primus accurate docuit, & hanc Iurisprudentiae partem Germanicam, vt ceterarum nullam felix illa manus attigit, quin circumfunderet mirum nitorem, primus optime inſtaurauit. Nunc igitur remis opus eſt, vt tantum ducem ſequamur, & quidni ego viribus non aequis ſequerer, doctorem olim meum, cui praeter alia multa praeſertim hoc debeo, quod mihi maſculam Romanorum Iurisprudentiam patriosque mores non trita vulgo via perdiſcendi cupiditatem inſtillaverit, vt mihi eandem vna cum Ipſo inſtillauit ille, qui iamiam Olympi lumen candidus miratur, deſiderium nunc meum Daphnis, frater.

Quare

Quare binis harum obſeruationum libellis exire iuſſis oram ſoluo, cymbaeque meae ventis permiſſae bene precor. Non magnum quaeſtum haec nauigatio faciet, ſed conducit interdum etiam conchas & vmbilicos legiſſe. Antiquitati, cultor eius non infrequens, & in qualicunque profectu religioſus, honorem vel inter hos luſus habere volui, legesque ac mores remotiſſimae vetuſtatis, tamquam Iurisprudentiae Germanicae canos, in his libellis veneratus ſum. Hinc toties Legem Salicam ſonant, & aenigmata Francica non dicam ſoluunt, ſed tangunt, nec barbarum horrorem, qui ſibi aetatis ſuae caligine reuerentiam quandam conciliat, viſere reformidant. Si quis vero me inter obſoleta verſantem velut non mei ſaeculi hominem antiquitatis oſor increpet:

*Quin tu aliquid ſaltem, potius quorum indiget vſus,**

illi non equidem opponam defenſionem vetuſtatis, quam hoc inexorabile fatum noſtris temporibus manet, vt amatores eius abiecta ſpe laudis prope veniam, & quod moleſtiſſimum eſt, a iudicibus imperitis, &

* *Virgil.* Eclog.

vnice ob multitudinem magnamque ſapientiae perſuaſionem, quam ipſi ſibi mediocrium ingeniorum ritu induerunt, verendis petere oporteat. Nam quid proficerem homo minime diſertus contra conuicium? Vtar igitur *cautela*, & ſpero iam ad hoc ipſum nomen, quod inſtrumentis officinae ſuae nobiliſſimis imponunt, aliquanto miteſcent. Prodam nimirum iracundis meis Graecas ſimul & Romanas antiquitates, & ſi iubent, quanticunque mihi etiam haec diſſimulatio conſtiterit, cultores earum non perfunctorie inſectabor, vt hoc artificio, ſi forte fieri poſſet, redimam antiquitatibus patriis exilii gratiam. Sint illae peregrinae vitrea fracta, ignobile πάρεργον & ignobilius ἔργον, Germanicas antiquitates contra haec ſpicula pallio ſuo teget & defendet patriae honos. Dicam igitur, ſi fieri poteſt, propitiis horum hominum auribus, ſin minus, etiam iratis, Iurisprudentiae noſtrae ſuccum aufferri & oſſa detegi, ſi nihil præter illud, quo judicis aures obtundi poſſunt, diſputare liceat;

liceat; ita pulcherrimam ſcientiam & amplum ingeniis exercendis campum daturam ad aliqua deſidiae diuerticula redigi; prudenter a quaeſtu ſeparari nomen eruditionis, ſanctius illud quidem, quam vt ad auerruncandam famem excogitatum fuiſſe credatur; infirmioribus ingeniis præſcriptum eſſe, ne latius excurrant, quam quoad tinnientis nummi ſonum exaudire poſſint, ſi quae vero ſint agiliora, illis forte nimis anguſtum, quo vires exerceant & exultent, mercenarium hoc ſtadium fore, quin amplius aperiendum ſit, tametſi in eo nullum, praeter ſui ſimilium laudes, praemium propoſitum ſentiant; ac in vniuerſum voluptatem magnam perire, niſi liceat mentem actu & puluere forenſi attritam laetioris doctrinae blanditiis reparare. Sufficere haec vel in eius defenſionem poſſent, qui vniuerſos antiquitatis theſauros ſcriptionibus ſuis exhauſiſſet. Meis luſibus & iocis ea non opus eſt, quos, ſuperbus eſſem, niſi ſpargerem vel indefenſos. Contingent libello meo,

niſi

niſi ſpes vana me decipit, aliquae ſaltem manus clementes, aut ſi qua ſit moroſior, tunc ille vadat & redeat ineuolutus, & memor ſit ſolatii, quo comitabar exeuntem:

*Inuenies alium, ſi te hic faſtidit, Alexin.**

Ex his quidem cauſſis non veritus ſum in obſeruationibus meis oculos ad antiqua tempora retorquere, praeſertim in binis earum libris prioribus, vt ſi olim (quod ſane in ceteris, qui hos ſequentur, libellis diligentius curabitur,) ea demus ex jure Germanico, quae nec a noſtri ſaeculi vſu remota ſint, antiquitati tamen debitus honor, & primus, quem dudum bene quaeſiuit, locus concederetur. Quaeſtiones itaque ſelegi non magni omnes momenti, nec multis ambagibus intricatas, ſed amoeniores, vt hos ipſos conatus amoenitatum Iuris Germanici ſpecimen forte non inconcinne dixiſſem, ſi quod mihi amoenum, idem & aliis fore credidiſſem, & barbarus horror

* *Virgilius* ibidem.

horror iurium veterum huic elogio reliquiſſet locum. Itaque ſimplicitatem inſcriptionis praetuli, & *Obſeruationes* dixi, quarum nomen vtcunque tuerentur, niſi hoc ipſum a quibusdam Romani Iuris interpretibus illuſtrius redditum ſit, quam vt ei ſatisfacere vel quisquam in barbaro iure poſſit, vel ego in vllo. Magna pars quaeſtionum mearum, fere dixerim maxima, in etymologiis vocum legitimarum, & in linguae noſtrae originibus verſatur, eas vero ad ius Germanicum a me reuocatas eſſe non mirabuntur illi, qui ſtant intra velum, Legumque noſtrarum ſacris initiati ſunt. Ceterorum enim iudicia non moror, & ſi qua eſt etiam in literis reiectio iudicum, mallem ex ſententia peritorum ſtare vel cadere. Nihil ab interpretatione legum alienum putau ſine quo eas perfecte intelligi non poſſe fatendum eſt, & iurium Germanicorum neglectus, qui non ita pridem ciuibus noſtris exprobrari poterat, ni fallor, hanc inter alias cauſſam habuit, quod ne verba quidem

dem caperent. Labeo & Capito & omnis illa ICtorum Romanorum illuſtris corona diligentiam ſuam ad etymologiarum minutias, ſed quae ſi negligerentur, non ſit maioribus locus, demittere non recuſarunt; quid nos eorum vix vmbrae, praeſertim in tabulis Legum Germanicarum vetuſtiſſimis faciemus, quae noſtris temporibus multis locis non melius intelliguntur, quam illae duodecim anno, poſtquam compoſitae erant, ſeptingenteſimo. * Verba vero legitima nonniſi ab eo, qui ius ipſum nouit, accurate poſſunt explicari, & a iurium peritis deſtituta, praedae fiunt Grammaticis, & cum illi ſcientia legum raro ſint ſuccincti, peſſime detorquentur, donec iurium cultores rem noſtram agi memores iniiciamus manum, & ab eis, qui negotium alienum, ſed deſertum inuaſerunt, repoſcamus. Itaque de variis vocibus ſententiam dixi, vt mos meus eſt, liberrimam, & contra interpretationes vel publico conſenſu, vel

* *Gellius* noct. Atticar. XX. 1

vel doctiſſimorum hominum auctoritate tutas, ſaepe priuatam perſuaſionem meam ſequutus ſum. Iudicium lectori relinquere ſuperuacuum foret, quod ſi ſubterfugerem, non ſcripſiſſem. Sed vt dixi, optauerim iudices peritos, quantacunque alias mediocritatis conſcientia tenear. Ad omnem enim alienum ſtomachum promiſcue ſe componere difficillimum eſſet, praeſertim ad eum, in quo cibi, quibus haud adſuetus eſt, continuo coaceſcunt.

Hoc vnum iam ſatis in re puſilla verboſus addere neceſſarium puto, ne quis vitio mihi vertat, quod ſaepe de legibus ad capras & porcos & ſi quid vilius iſtis pertinentibus diſputauerim. Talia nimirum frequentiora ſunt in iuribus Germanicis, quam magni momenti argumenta, & ab omnibus illis omitti debent, qui nihil, quam regnorum ſucceſſiones, bellumque & pacem magna voce manuque tota ſonare volunt. Nemo leges facere poteſt alias, quam accepit, &

vellem

vellem haec reprehenſio libelli mei eſſet vnica. Saepius enim non tam intereſt de qua re, quam quomodo dicatur, & ſi alii, quam mihi, materiae vilitas exprobraretur, illum antiquo dicto ſolarer, interdum etiam in argilla vili agnoſci artificem. Haec vt praefarer, intererat mea. Magis intereſt, vt tu, Lector, valeas faueasque ſimul. Quodſi horum libellorum floſculos haud aſperneris, fieri poteſt, vt impoſterum te qualibuscunque excipiam pomis.



CON-

CONSPECTVS CAPITVM LIBRI PRIMI

CAPVT I.

De Gloſſis Malbergicis Legis Salicae, variisque earum interpretationibus. Explicatur quid ſit SVNDLENO *Tit. VII. §. 6. aliter, ac ab Eccardo factum eſt.*

CAPVT II.

Ad legis Salicae Tit. X. *§. 2. Quomodo legendum & explicandum ſit* STALACHA.

CAPVT III.

De voce CHRENECRVDA, *& quomodo ea Legis Salicae Tit. V. §. 2. & Tit. LXI. §. 2. ſit accipienda.*

CAPVT IV.

Ad Legis Salicae Tit. XXII. §. 1. Vindicatur vox Malbergica AFFECTV, *& vnde ſit, explicatur. Similes coniecturae de voce* IDVLGVS *ad Tit. LVIII. §. 11.*

CAPVT V.

Aliter, quam vulgo fieri ſolet, explicantur Legis Salicae Tit. II. §. 18. & 19. Simulque quid ſit BABENE, *contra Eccardum diſputatur.*

CAPVT VI.

Ad Legis Salicae Tit. XV. §. 3. quid ſit FRIOLASIA, *& ad eundem ſit §. 1. & 2. quid* THEVRORA.

)(1)(CAPVT

CAPVT VII.

Quid ſit CHANGICHALDO *in Lege Salica Tit. XIV. §. 10.*

CAPVT VIII.

Oſtenditur, quid ſit BVMEDA *in diplomate Lotharii Caeſaris.*

CAPVT IX.

De iureiurando viduae, quo quantitatem Morgengabae a marito ſibi datae probat, & cur dicatur NASTAID *in Lege Alamann. Tit. LVI. §. 11.*

CAPVT X.

Ad Legis Salicae Tit. XXXIII. §. I. eiusque vocem Malbergicam QVINTVO.

CAPVT XI.

Varia de iniuriis, praeſertim vom Schelten aus der Chriſtenheit und Chriſtlichen Scheltworten.

CAPVT XII.

De clamandi quibusdam formulis, in iuribus Germanorum veterum obuiis, & ipſo iudiciorum vſu frequentatis, vt IODVTE, WAPEN, WRAECK, &c.

LIBER SECVNDVS

CAPVT I.

Explicantur aliquot Gloſſae Malbergicae ad Legem Salicam, velut CHALIP SVBDVPIO *Tit. XLIV. §. III. &* NVCHALA *eodem tit. §. XIV. &* AVTHVMIA *Tit. XIV. §. I.*

CA-

CAPVT II.

Vindicatur & exponitur vox FOCICHALTA *in Leg. Sal. Tit. II. §. VII.*

CAPVT III.

Expenduntur iterum aliquot Glossae Malbergi, quae Lege Salica Tit. XXXII. continentur, & digitorum mutilationes significant, vt ALATHAM BRIORODERO *§. IV.* REPPHANO *§. VI.* ELECHANO *§. VII.*

CAPVT IV.

De vulneribus membrorum corporis nobiliorum ex Lege Salica disputatur, & cur Glossis Malbergicis Tit. XXVII. §, XII. excussio oculi dicatur LICLAMINA *§. XIII. nasi* FRASITTO *§. XV. linguae* ALCHALTVA *§. XVI. dentis* CLANINA *& denique §. XVII. & XVIII. obscoenarum partium* WIRADARDI *&* ALACHARDE, *expenditur.*

CAPVT V.

De proportione, quam in aestimandis vulneribus maiores nostri sequuti sunt, praesertim de vulnerum mensura.

CAPVT VI.

De proportione, quam in aestimandis corporis humani membris Germanicae originis gentes sequutae sunt.

CAPVT VII.

Quid sit SILAVE *in Lege Salica Tit. LVIII. §. IV. &* RABANAL *Tit. XLIV. §. X. expenduntur.*

CA-

CAPVT. VIII.

Iterum aliquot Gloſſae Malbergicae ex lege Salica expenduntur, vt THEOPHANO *Tit. VI. ſ. 3.* CHVNNOVANO *ibid. ſ. 4.* HVICHTE *Tit. XLI. ſ. 5.* CHANCO *ibid. ſ. 1.* STALASTIHO *ibid. ſ. 16. &* ABAZYM PEDERO *Tit. III. ſ. 16.*

CAPVT IX.

De Gloſſa Malbergica MOSEDO, *quae in multis capitibus Legis Salicae obuia eſt. Diſputatur etiam, quid ſibi velit* OPDOPVS *Tit. XXVII. ſ. 1. 3. &* FERTHEBERO *Tit. XXXVIII. ſ. 4.*

CAPVT X.

Coniecturae de gloſſis Malbergicis SCHVISARA CHROGINO *Tit. XXVIII. ſ. II. &* WIDRESA THALO *Tit. XLVIII. ſ. I. Expenditur etiam, quid ſit* STRINGERE *Tit. XXIII. quid* CHAMNI *&* MANECHARDE *ibidem.*

CAPVT XI.

Vnde ſit nomen ZEVGE, *teſtis, diſquiritur, & quid ſibi velit in Lege Salica toties repetita vox* DELATVRA.

CAPVT XII.

Coniecturae quaedam de vocibus Malbergicis ALETHARDIS *Leg. Sal. Tit. IX. ſ. III.* CHANASWIDO *Tit. VII. ſ. V. &* SOLAMPINA *ibidem ſ. VII.*

IO. GVILIELMI HOFFMANNI

OBSERVATIONVM IVRIS GERMANICI

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

De gloſſis Malbergicis Legis Salicae, variisque earum interpretationibus. Explicatur quid ſit SVNDLENO *Tit. VII. §. 6. aliter, ac ab Eccardo factum eſt.*

Legem Salicam quisquis attigerit, nulla re magis offendetur, quam inextricabili gloſſarum Germanicarum difficultate, quas antiqua ſed indocta manus verbis latinis alleuit, vt prodeſſent imperitis & linguae, qua lex ſcripta eſt, ignaris, nunc vero vetuſtas ita obſcurauit, vt moleſtiſſimum negotium eruditis faceſſant, & pauci hunc lapidem mouerint, quin omnem inueſtigandi operam fruſtra fatigati deplorarint. Obtinuit, vt eas *voces Malbergicas* appelle-

mus. Nam in quibusdam codicibus legis Salicae ſingulis hiſce gloſſematibus praefigitur nomen MALBERG, quo non ſolum iudicii locus, aut illi veteres Themidi barbarae ſacri colles ſignificantur, verum & vniuerſus, qui *mallo* vel iudicio continebatur, populus (a). Illud igitur gloſſator voluiſſe videtur, eſſe has voces plebeias, & communi vſu populi iactatas, quae latini ſermonis rudibus, quid quaque legis parte comprehendatur, quodammodo indicarent. Nos huic interpreti poſt tot ſaeculorum interualla debemus, quod linguae Germanicae, cum ille ſua ſcriberet, adhuc infantis confuſos quaſi vagitus hac aetate noſtra, quamquam magna intelligendi difficultate, cum voluptate tamen audiamus, neque mirum eſt, nihil auribus oribusque Teutonicis, vt nunc ſunt, conueniens in eis reperiri, & a Germanis Germanos parum intelligi. Αἱ πάλαι συνήθεις λέξεις, γλωσσήματα νῦν. *Quae fuerunt olim vſu frequentata vocabula, nunc opus habent interprete*, non ſolum D. Marcus (b) dixit, ſed & ratio vitaeque vſus demonſtrat, eandem vocum, quae ceterarum omnium rerum, naturam & fatum eſſe;

Vt

(a) Lex Salica tit. LVI. §. 4. edit. Lindenbrog.

(b) M. ANTON. de rebus ſuis Lib. IV. c. 33. & GATTERER. ad hunc locum, nec non Miſcellan. poſthum. Cap. 41.

Vt ſyluae foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit
aetas. (c)

Ceterum digna res eſt, quae Germanorum exerceat ingenia, vt illas priſcae Iurisprudentiae linguaeque reliquias quo antiquiores eo pretioſiores ſtudioſe conſeruent, & a ſitu, quo ſquallent pleraeque, purgent, facturi ſane operae pretium tam in legum & morum, quam in linguae cognitione, quae, vt norunt harum rerum gnari, velut indiſſolubili vinculo cohaerent.

Et fuerunt ſane, qui in has obſcuras monumenti Salici cauernulas lampadem ferre conati ſunt, quamquam plerique fallacem & quae ſtatim, poſtquam accenſa erat, etiam cum foetore diſparuit, vt fere fit, quando coniectandi audacia magis quam felicitas oleum ſuffundit. Nam de Wendelino in vulgus notum eſt, vt miris modis voces Malbergicas detorqueat, & in delicti cuiusdam aut viliſſimae rei nomine ciuitatem Belgicam, in qua legis pars forte condita fuerit, quaerat, & hoc inexpectato, ne quid grauius dicam, inuento, quo laudibus, quibus alioquin digniſſimus eſt, multum detraxit, ex gloſſis antiquis prope tabulam geographicam faciat. Ceteris interpretibus, qui nonnulla Legis loca variis ingeniis variaque fortuna

(c) HORAT. arte poet.

tuna tetigerunt, Io. Georgius ab Ekhard nomen abſtulit, ſuo etiam melius conſuluiſſet, ſi coniecturis, quarum aliquas feliciſſimas habuit, feciſſet modum, & hanc rectum euagantem licentiam, quae prope omnibus doctrinae eius monumentis ad perfectam laudem obfuit, coërcere maluiſſet. Sed de commentariis eius paullo poſt pluribus dicemus. Ioanni Schiltero ad hunc fundum colendum neceſſarii adfuit inſtrumenti copia, cum & codices plures tractauerit, & linguae veteris fuerit peritiſſimus, adeoque vocibus Malbergicis, quarum nonnullas in Gloſſario explicauit, plus ille lucis affundere potuiſſet. Habueritne ſemper in promtu illud, quod nec arte nec induſtria comparari poteſt, praeſidium, & ſine quo cetera vim & officium ſuum perdunt, temere definire nollem. Deſideratum eſt hoc ſaepe in illis, qui ceteroquin habiti ſunt doctiſſimi, plusque in hoc litterarum genere acumen cum doctrina mediocri, quam citra illud doctrinae praeſtantia valet. Nuper Io. Georgius Wachterus Germaniae Varro dici meruit, ſed Romano ſagacior, qui opere docto & ingenioſo genti noſtrae decus, exteris exemplum praebuit, quo quid a iucundis ſomniis, nimis modo etiam optimo cuique linguarum interpreti familiaribus, vera diſtet originum inueſtigatio cognoſcerent. Is vt

alia

alia multa praeclare, ita quasdam voces Malbergicas, vbi res & occasio tulit, feliciter enodauit, & vt plures enodasset, optarent omnes, qui norunt, tunc demum profici, quando sagacitas in rebus etymologicis cum veterum linguarum cognitione & coniectandi verecundia coniuncta est.

Post Eccardum vero, quod sciam, nemo aenigmata vocum Malbergicarum omnia tetigit, & huic ipsi forsan illud praesertim obfuit, quod tetigerit omnia. Fieri enim aliter non potuit, quam vt ingenium, cuius virtutes in confinio vitiorum positae erant, interdum, & eo saepius, quo plus confidentiae habebat, laberetur, & quando se nihil ignorare videri voluit, quam adhuc multa ignorauerit, intelligentibus proderet, & blandiente quarundam coniecturarum felicitate ac velut aura sollicitante longius prouectum, cum nullibi vela contrahere remosque inhibere vellet, hinc & inde scopulis allideretur. Nam & mediocriter docti violentam voces Malbergicas mutandi & corrigendi rationem & prope immoderatam coniecturarum audaciam reprehendent, eumque multis locis, quae ingenio peruia non erant, manu sibi viam feciſſe, verebuntur. Atque vt ex turba vel vnicum exemplum decerpamus, ecce in Lege Salica *Tit XV. §. 1.* mulcta in eum statuitur, *qui vxorem alienam viuo marito tulerit;* glossa

vero adſcripta eſt ARBATHEVS ENLANTHAMO. Quae verba ſane obſcuriſſima, cum nec intelligeret Eccardus, nec de moderatis remediis valde circumſpiceret, ita reſtitui iuſſit *charlalheueent anter namo;* quod factum, niſi temerarium dicatur, vix ſcio, cui reliquerit huius nominis locum, cum in Eccardiana emendatione vix ſyllaba ſit, quae veterum codicum ſcripturae reſpondeat. Et notabunt huius generis multa etiam illi, qui meliora dare non poſſunt, & communi lectorum omnium iure indignabuntur, vbi vitioſa iactatio quorundam credulitate vel aliorum patientia temere abutitur. Neque tamen mirum eſt, Eccardum in Lege Salica ſibi tale quid indulſiſſe, quando nihilo clementius egerunt alii cum Romanis Graecisque & legibus & auctoribus, quorum formoſiſſima & delicata corpora ne pulcritudine quidem ſua ferrum quibusdam extorquere potuerunt. Quis enim non ſperaret his crudelitatis exemplis ſuae paratam eſſe excuſationem, ſi ſaeuiat in corpus Francicum, quod, vt omnia barbara, vulnus ferre patientius poſſit, nec cultrum aut ignem vel quicquid duriorum remediorum neceſſitas ſuaſerit, adeo reformidet.

Habet tamen, ne quid diſſimulemus, liberior vocum Malbergicarum correctio ſuam defenſionem, in ingente codicum lectionumque varietate poſitam, quae, vt omnes norunt, corruptio-

ruptionis indicium est. Vix enim scio, an in vlla Malbergi glossa codices omnes consentiant; in plerisque vero tanta diuersitate variant, vt abiectis adeo dubiae fidei auxiliis opem ab ingenio petere, si vitium sit, certe graue videri non possit. Ita *Tit. VI.* quo furtum *accipitris* coërcetur, glossam adscribunt aliqui codices *ortofocla*, alius *hosticla* & *ortofugia*, iterum alius *horhut* & *marahoda*, & ita saepius alibi, neque mirum est, in tanta variatione scripturam a iudice postea torqueri. Nam si quis codicibus suspectis superstitiosius inhaereat, illi accidere potest, quod Vito Amerpachio, infelici non minus ingenii sui, quam Codicum, in quos inciderat, vitiis Critico. Qui cum capitularia Caroli M. & inter ea Nouiomagense, quod anno DCCCVI. promulgatum est, ederet, in codice autem suo rubricam, quam dicimus, inueniret: *Capitula quae ad Niumaczd:* (d) hoc est, vt in aliis libris melius legitur, (e) *quae ad Niumaga addita sunt*, miris modis suam sagacitatem & lectoris patientiam fatigauit. Scripturam enim codicis sui sequutus, persuadere ridentibus voluit, *Niumaczd* esse nomen Ducis cuiusdam, qui forte iocose, nimirum vt fit in aulis, *Niemand* appellatus fuerit, fere vt Vlysses apud Homerum, quis esset, interrogatus,

(d) Constit. Caroli M. edit. AMERPACH. p. 272.

(e) Capitul. edit. BALUZ. Tom. I. p. 451.

οὔτις respondit. Quod inuentum, an ſtultius ſit alio eiusdem auctoris, (f) nempe *hominem denarialem*, qui, vt omnes norunt, eſt per denarium manumiſſus, ita dici, quod ſit famulus, *ein dienerle*, & *chartularium*, quod ſit cartnarius, *ein gärtner*, nondum conſtitui. Sic Vitus ille noſter *cippatica*, (g) quae vt Cangius oſtendit, ſunt *ceps de vigne*, cum *cispatica* in codice ſuo ſcribi reperiſſet, idem ac germanicam vocem *Zinsbar*, eſſe credidit. Tales delicias apponunt, qui cibos, quos accepere crudos, iudicio recoquere formidant, & corruptos codices ſequuti, ſuum ingenium, quam ſcripturam libri reprehendi malunt. Ipſe Wachterus in emendanda lectione verecundiſſimus, & Sibrando Siccamae iure quidem, ſed ob vnicam literam temere mutatam iratus, (h) in lege tamen Salica vocibusque Malbergicis interdum liberius coniectari fas eſſe iudicauit. (i)

Accedit & hoc, quod in priſca Francorum lingua ſaepenumero vna vox variis diuerſiſſimisque modis ſcribi ſoleat, & adeo exiguus regulis Grammaticis locus relictus ſit, vt hunc ſermonem ipſe cultor eius antiquus Viſſenburgenſis Monachus Otfridus *indiſciplinabilem* appellauerit. (k) Vnus no-

(f) AMERPACH. ib p. 295.
(g) Ibid. p. 275.
(h) WACHTER. Gloſſar. in v. Forlegani.
(i) Idem in v. Feld.
(k) OTTFRIDI praefat. Euangel. ad Liutbertum ArchiEpiſc. Mogunt. p. 11. edit. Schilt.

noſter articulus *der* ſepties variatur: *Ther, dir, thier, den, der, the, ſe;* & multae voces longe pluries, quo factum eſt, vt Hickeſius, qui omnium diligentisſime huius linguae regulas inueſtigauit, & inueniſſe ſibi viſus eſt, (l) regulas tamen aliquas dederit, quibus nomen & vim exceptionum multitudo detraxit. (m) Itaque in magna & codicum corruptione & linguae varietate Critico plus licere, quam quando libri emendati, certaeque ſermonis leges ſunt, quis ambiget?

Hoc tamen eo non valet, ac ſi laxatis omnibus frenis nullaque habita codicum aut linguae ratione, leuiſſimis inuentis exultare, gloſſasque Malbergicas non tam explicare, quam facere liceat. Quod Eccardum multis locis auſum eſſe, plurium exemplorum enumeratione palam fieri poteſt, & in his libellis per aliquot capita demonſtrabimus, quibus, ſi non multo veriores, certe modeſtiores Eccardianis coniecturas afferemus, vt a legentibus, tametſi aſſenſum impetrare nequeamus, iuſta tamen indignatio non ſit metuenda. Ceterum ne quis nos a peruulgatis & plurimorum conſenſu decretis Eccardianorum commentariorum laudibus priuata quadam perſuaſione diſſentire putet, repetendum eſt noſtrum, quamquam prope ſuperuacuum, de

(l) GE. HICKES praefat. ad Grammaticam Franco-Theotiſcam Tom. I. theſauri ſeptentr.

(m) conf. GVNDLINGIANA P. XXXVI. n. 6. §. 16.

ingenioſiſſima quorundam locorum interpretatione ſuffragium. Fuit ſane in hoc viro magna ſagacitas, & ingenium ad res Etymologicas ornandas compoſitum, cuius ille beneficio multarum vocum origines & cognationes feliciſſime detexit, & his veluti gemmulis, nec infrequentibus, commentarios ſuos diſtinxit. Et manifeſtum eſt, eum ſaepenumero, quando voces Malbergicas etiam male interpretatus & ſine dubio lapſus eſt, multa tamen praeclara lectuque iucunda, quamquam ab illo loco aliena, in medium afferre, ipſosque errores decora veſte circumdatos amabiles facere, quo id conſequutus eſt, vt eius commentarii, quamquam non ſemper accurati *gloſſarum legitimarum* interpretes, rerum tamen etymologicarum inſignis penus dici poſſint, multisque lectoribus votum extorqueant, vt tantum ingenium ad ſuam in coniectando felicitatem eam moderationem, quae ad omnis fortunae conſtantiam neceſſaria eſt, afferre voluiſſet. Nam, vt diximus, pudor ille in aliquibus locis ignorantiam fatendi produxit immoderatum omnia explicandi deſiderium, vnde vis toties adhibita, & violentiae fere ſemper coniuncti errores fluxerunt. Nemini licet omnibus horis eſſe beato, nec ſemper arcum Apollo tendit, optimeque ſibi conſuluiſſe videntur, qui ſpes & labores ſuos coërcent & ingentia rura laudant

laudant, ſed ſi vnum, quod habent, aratrum, ſufficere nequeat, exigua colunt.

Facturis periculum, an quibusdam Legis Salicae locis conſtantiorem lucem affundere valeamus, illud commodum in hac ſparſas obſeruationes ſcribendi ratione accidit, vt anxia ordinis curia ſuperuacua, quidue prius aut poſterius dicendum veniat, quaerere parum neceſſe ſit. In hac Lege multa contineri non magni momenti, & quae vnice ſuum ex iuris linguaeque antiquitate pretium ſortiuntur, omnes norunt. Quid igitur vetat, quo minus ordiamur ab exemplo prope ludicro, & quoniam eo, quo haec ſcribimus, tempore Martinalia caleſcunt, age, in coenulae noſtrae promulſidem anſerem afferamus. Ait igitur Lex *Tit. VII. §. 6.*

> *Si quis anſerem aut annatam domeſticam furauerit* MALB. SVNDLENO CCXX. *den. qui faciunt ſolidos III. culpabilis iudicetur.*

Difficilem vocem *Sundleno* Schilterus, qui bonis codicibus vſus eſt, in Gloſſario ſcribit *Sundlero;* & ita legi commodeque explicari poteſt, vt mox dicam. Non tulit eam tamen Eccardus, ſed corrigi iubet *ganta vel eno* i. e. anſer vel anas, & ne mutatio literarum nimia videretur, *gunta l. eno* ſcriptum fuiſſe putat, ſine vlla, ſi me audias, neceſſitate. SVND antiquiſſima vox *natationem* ſignificat, vt

Olaus

Olaus Verelius in Ind. docuit. Anglo-Saxones *mit ſunt overfaran*, nando tranſire. Hinc, *ſundlaete* facultas natandi, *ſunde* fretum, & alia multa. (n) Sic in carmine Norvvagiae regis Haraldi Hardraade apud Thomam Bartholinum (o)

hefik SVND *numit ſtundum*
aliquando & natare conſueui.

Itaque non ſine veri ſpecie dici poſſe crediderim, *Sundlero* eſſe *natatorem*, quod nomen anſeribus anatibusque commode tribuitur. Ita & apud Romanos Varro

aquatiles QVERQVEDVLAE NATANTES

& ignotus Poëta (p)

aut cornix anus, aut AQVOSVS ANSER.

Et quamquam probare putidum foret, anſeres & anates optime dici natatores, de quo vix vnus ex pueris agreſtibus dubitauerit, ſi quis tamen ridicule dubitet, ille magnum adeat philoſophum, (q) de natura animalium diſputantem, & magnum Imperatorem Fridericum II. (r) Sic etiam Varro Latinum *anas* a *nando* dictum putat, (s) & graecorum *νῆσσα*

(n) conf. SCHILTER. et WACHTER. in Gloſſariis v. Sund.

(o) T. BARTHOLIN. de cauſis contemtae a Danis mortis. Cap. X. p. 156.

(p) Priapei. carm. LXI.

(q) ARISTOT. hiſtor. anim. Lib. VIII. cap. 3.

(r) FRIDERICI II. Imp. de arte venandi cum auibus Lib. I. Cap. II. & IV. ſeqq.

(s) Varro de lingua lat. Lib. IV. p. 24.

σα vulgo deriuatur ἀπὸ τῦ νεῖν, eodemque modo Gloſſator noſter, vt anſerem anatemque vna voce indicaret, adſcripſit *Sundlero* natator. Quod ſi tibi placet, Eccardianas dapes *ganta vel ento* redde coquo.

CAPVT II.

Ad Legis Salicae Tit. X. §. 2. Quomodo legendum & explicandum ſit STALACHA.

Pingerene an pungere alterius equum Lex Salica vetuerit, non magna eſt quaeſtio, datura tamen occaſionem in aliam Eccardi coniecturam inquirendi. Videamus primum de verbis *Tit. X. §. 2.*

> *Si quis vero animal, caballum vel iumentum in furtum pinxerit,* MALB. STALACHA, DC. *den. qui faciant ſolid. XV. culpabilis iudicetur.*

Ita Heroldus, & ex eo Eccardus, qui parum moratus vocem Malbergicam *Stalacha*, eiusque a verbis Latinis diſcrepantiam, reſcribe, inquit, *Malatha.* Quid amplius expectabimus? Pictorem habemus & in ſanctione legis & in gloſſa, rectene vero ſcriptum & pictum ſit, quod ita ſcribitur, ſtatim videbimus.

Conſtat inter omnes, praeter antiquam editionem Legis Salicae ſupereſſe aliam repetitae praelectionis a Carolo M. recognitam. Ibi coërcetur, non qui *pinxerit* equum, ſed qui *punxerit*, vt eſt illius aevi Latinitas. Sic Baluzius

luzius edidit, (a) & ſic in duobus codicibus Guelferbytanis legi, Eccardus ipſe notauit. (b) Sed placuit huic adeo pictura ſua, vt fidem codicum infra Heroldi lectionem (forſan plane operarum vitio deprauatam) & quod eum ſine dubio magis mouit, infra ingenii ſui diuinationes poneret, cauſſatus, literas U. & I. vt apud Gallos pronunciando, ita ſcribendo facile confundi; *pinxerit* vero melius eſſe, quod conueniat coniecturae ſuae *malatha*. Qualia nollem probauiſſet, vt probaſſe quodammodo videtur, doctiſſimus Muratorius (c.)

Vtraque lectio *pinxerit* & *punxerit* non tolerari tantum, verum & commode poteſt explicari, quoad caput Legis a ceterorum nexu decerpimus, nec quid praecedat, neque quid conſequatur, intuemur. Nam *pingi* equos ab impoſtoribus, maculasque allini vel pedibus fallacem colorem affricari, notiſſimae hippocomorum fraudes ſunt, easque Legislatoribus Francis dignas ſollicitudine ſua viſas eſſe dici poſſet, qui curam & prouidentiam ad res multo viliores demiſerunt. *Pungi* autem equos, eisque notas incidi & inuri ad cognoſcendum dominum & genus, & neſcio quid aliud, non ſolum frequenter fieri, ve-

(a) BALVZ Capitul. reg. Francor. T. I. p. 290.

(b) ECCARD. ad L. Salicam p. 147.

(c) MVRATORIVS ad Leges Rotharis. Script. Ital. Tom. I. Part. II. pag. 43.

verum etiam antiquiſſimis temporibus factum eſſe, ex Anacreonte conſtat,

Εν ἰχίοις μὲν ἵπποι
Πυρὸς χάραγμ' ἔχουσι
Equi ſolent inuſtum
Coxis habere ſignum

et paſtor Virgilianus, non tantum equorum pullos ſed & vitulos ita deſignat,

Continuoque notas & nomina gentis inurit. (d)

Qualia veterum agaſonum artificia, qui pluribus deſcripta legere cupiet, Carolum Scribanium de prima ſcribendi origine commentantem adeat, (e) & qui ex Scribanio non adſcripto nomine auctoris hoc aliisque locis multa deſcripſit Ioannem Nicolai. (f) Ac ne a legibus noſtris diuagemur, huc pertinere puto ſanctionem Rotharis Longobardi : (g) *Si quis caballum alienum apprehenderit, ipſumque diffigurauerit, aut* CIRCINAVERIT, *furti poena ſit culpabilis in octogild.* Non acceperim *circinare* pro *abigere*, *detourner*, vt accepiſſe video Cangium (h.) Nam quod adiicitur, *diffigurauerit*, ſatis oſtendit Rotharin hac

(d) Virgil. Georg. lib. III. v. 158.

(e) SCRIBAN. de prim. ſcrib. orig. Cap. XX. pag. 148.

(f) IO. NICOLAI de figlis veterum. cap. 49. p. 311. ſeqq.

(g) MVRATOR. cit. loc.

(h) CANG Gloſſar. in v. Circinare.

hac Lege non abigeatum vetare, ſed notae falſae impreſſionem, quod etiam Muratorius vidit, quamquam, quid ſit *circinare*, non ſatis explicuit. Crediderim vero, veteres non ſolum numerorum notas & literas equis inuſſiſſe, vt viri docti ad nomina equorum Σάμφορα & Κοππατία apud Ariſtophanem & Athaeneum, & alibi notarunt, verum & circulos & figuras in orbem flexas. Haud equidem ad eam rem demonſtrandam vtor Homeri teſtimonio, (i) quo Io. Nicolai (k) vſus vel potius abuſus eſt

ἐν δὲ μετώπῳ
Λευκὸν ΣΗΜ' ἐτέτυκτο ΠΕΡΙΤΡΟΧΟΝ ἠΰτε μήνη
in fronte autem
Alba macula erat, ROTVNDA *veluti luna.*

Hoc enim non ad notas, quas hippocomus impreſſit, quorſum ille retulit, ſed quas natura in fronte quadrupedis pinxit, pertinere palam eſt. Magis ad rem facit, quod Scribanius notat, inſtrumentum ad inurenda ſigna compoſitum rotae figuram habuiſſe, & ἵππου τρόχον, *equi rotam*, dictum eſſe, quod commode, ni fallor, ad interpretandum Longobardorum *circinnauerit* adplicari poteſt. Itaque *pingere* & *pungere* in Legem Salicam & vtrumque cum aliqua defenſione admitteremus

(i) HOMER. Iliad. ψ. v. 454. (k) cit. loc.

mus, imo ſi cetera conſpirarent, ſeruata lectione *punxerit*, Eccardianum *malatha* retinemus, deleta quidem pictura, ſed alio, nec abſurdo ſenſu. Nam in Gloſſis Monſeenſibus (1) a Bern. Pezio editis *Anamali* ſunt *ſtigmata*, & hinc *malatha* eſſet *ſtigmate pupugerit*.

Verum, vti diximus, haec interpretationum ſomnia nonniſi apud eum valent, qui ad hoc vnum legis caput ex nexu, quo cum ceteris cohaeret, decerptum obdormiuit, quae, ſimulac oculos ad noſcendas proximas legis partes aperuerit, ſine dubio diſparebunt. Nam vnumquemque *Tituli X.* inſcriptio docebit, & lectio conuincet, quod de pecudibus in alienam ſegetem, vel in alium, quem quis ſeptum clauſumque tenebat, locum immiſſis ſtatuatur. Has pecudes deprehenſas lex ita vetat includi, vt quorſum peruenerint, nemo reſciſcere poſſit; has occidi vetat, & vulnerari, vel vt locuti ſunt, qui legem condiderunt, *pungi*. Nihil huc faciunt hippocomorum fraudes, nihil equos pingendi vel falſa nota pungendi aſtutia; vna & ſola prohibitio eſt, ne cui pecudes ſuae vel prorſus aufferantur, vel inutiles deterioresue reddantur, occidendo vel pungendo *in furtum*, i. e. clam & furtiue, velut ſaepius vſurpatur aliàs. Plane vt apud Friſios Orientales lege definitum

(1) p. 322.

fuiſſe ex membranis huius iuris, quae apud me ſunt, comperi: *We eens anderen peert by nachte off by dage hemelicken ſteckt off wundet, breckt XX. ſ. unde dat peert dubbelt tho betalen*

Qui legis caput ita nobiscum explicabit, illi nec verba latina negotium faceſſent, nec adſcripta Gloſſa *Stalacha;* quin potius mirer, Eccardum non animaduertiſſe citra omnem literarum mutationem vnius ſyllabae transpoſitione ſcribendum eſſe *Stachala*, quae eſt ipſa vox *pungere*, vt nunc pronunciamus, *ſtechen*. Quin ea veteres etiam Franci olim vſi ſint, nemo facile, opinor, dubitauerit, dubitantibus tamen Gloſſarium Germano-Theotiſcum, quod Eccardus ipſe, cum Herbipoli degeret, edidit (m) ſcrupulum omnem eximet. Nam & in eo legitur *punxiſti* STAHHI, *punge* STIH; & hanc viam inſiſtentibus non opus eſt a codicibus diuergere, vel eis Heroldinam lectionem praeferre, vel quod adhuc inclementius eſt, Heroldinae lectionis tuendae cauſſa voci Malbergicae vim facere.

Huic legi, quoniam incidimus in equitia, propter argumenti ſimilitudinem comitem dabimus aliam, quae *Tituli XXVI.* vnica eſt.

Si quis Caballum extra conſilium domini

(m) ECCARD. de rebus Franc. Orient. Tom. I. p. 858.

ni ſui aſcenderit, & eum caballauerit---
MALB. BVRGOSITTO

Sola, vt fere vbiuis aliàs, difficultatem creat vox Malbergica *Burgoſitto*, quam ritu ſuo in *Margoſitto* mutat Eccardus, a voce *March* equus & *ſitto* ſitzen, vt tamen non vnum coniecturae refellendae argumentum nobis reliquerit. Vnum ſufficiet, quod ita verſantes, ſi vel cetera omnia recte ſe habeant, Gloſſam tamen conſtituamus, quae in vniuerſum omnem equitationem exprimit, non ſolam, quae Lege prohiberur, clandeſtinam. Eſt autem interpretis vocum Malbergicarum officium, vt quam fieri poſſit arctiſſimam earum ſignificationem quaerat, ſciatque, primam coniecturarum ſuarum dotem eſſe, ſi gloſſas legum verbis vel ſine omni, vel quando illud obtineri nequit, ſine magna mutatione lectionis quam accuratiſſime aptauerit. Ac ſi cui placeat *ſitto* interpretari, vt interpretatus eſt Eccardus, illi auctor eſſem, ne *Burgo* mutet in *Marcho*, ſed memor ſit, *bergan*, *bargan* & *burgan* veteribus Francis dici *occultare*, *abſcondere*. Notkerus: (n) *In diſemo ſtricke den ſie* BVRGAN *gehafteta in iro fuoz;* i. e. *in laqueo iſto, quem* ABSCONDERVNT *comprehenſus eſt pes eorum.* Ita eſſet *Burgoſitto* conſcendere alienum equum clam, vel

(n) NOTKER. Pſalm. conf. SCHILTER. Gloſſar. IX. v. 16. p. 18. edit. Schilt. v. Bergan.

vt lex loquitur, *extra consilium domini*, & ita satius est lectionem seruare, quam mutatae glossam substituere, quae, nisi forte ad viuum omnia reseces, equitationem indicare posset in vniuersum, non illam, quae lege prohibetur, occultam & contra domini voluntatem temere tentatam.

CAPVT III.

De voce CHRENECRVDA, *& quomodo ea Legis Salicae Tit. V. §. 2. & Tit. LXI. §. 2. sit accipienda*

Vna omnium vocum Malbergicarum plurimis coniecturis tentata est *Chrenecruda*, quam & illi tetigerunt, quibus ad ceteras enodandas vel vires defuerunt, vel animus. Et accendit inuestigantium studia Childebertus Francorum rex, qui circiter anno DXCV. *decretione* publica sanxit: *De chrenecruda lex, quam paganorum tempore obseruabant, deinceps numquam valeat, quia per ipsam cecidit multorum potestas* (a). Valde enim crudam fuisse oportet illam Chrenecrudam, quam ne Francicus quidam stomachus concoxit, pessimumque morem, quem nec illi reges in Iurisprudentia sua tulerunt, qui ceteroquin locum dederant satis iniquis. In vocis autem significationibus eruendis illud

(a) Capitularia Regum Franc. edit. BALVZ. p. 20.

lud permoleſtum eſt,' quod in Lege Salica bis & in locis argumento ſuo diuerſiſſimis occurrat. Nam ecce Tit. LXI. continetur, eum, qui caedem commiſerit, nec tantam pecuniam, quantam Lex ſtatuit, ſoluere poſſit, cum duodecim hominibus bonam copiam eiurare teneri, & ex caſae ſuae limine puluerem per quatuor eius angulos collectum in proximum cognatum proiicere, qui poſtea in locum rei ſuccederet, & quod ille praeſtare non poterat, ſolueret, aut ſi ſoluendo par non eſſet, in alium remotiorem cognatum *chrene cruda* coniiceret. Rurſus *Tit. VI. §. 2.* furtum, quo plures, quam tres caprae ablatae ſunt *chrenecruda* dicitur, inexpectata diuerſiſſimarum vnius vocis ſignificationum conſociatione. Quid enim magis inſolitum, quam vnam & eandem gloſſam conſpici ad legem de caede & ſanguine, iterumque ad legem de tribus capellis, vt ſit vera chimaerae veteris imago

ante leo, retroque capella,

vel ſi mauis Homerum (b)

πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσσση δὲ χίμαιρα.

Et haec tanta rerum cauſſarumque diuerſitas interpretes mouit, vt in alterutro loco *Chrenecrudam* vitio irrepſiſſe, adeoque vel expun-

 gendam

(b) Iliad. ζ. v. 181.

pungendam vel mutandam, esse omnes prope decreuerint. Vsi vero sunt virgula critica contra tres capellas, easque a voce *chrenecruda*, quam beneficio Codicum obsederant, fugarunt; quam recte, mox videbimus, certe nobis blandimur, obscurissimam glossam vtroque loco ita, vt nec apex Codicibus detrahatur, seruari & commode applicari posse. Dispiciamus itaque propter argumenti dignitatem primo loco de Tit. LXI. & quando pauca, quae rem ipsam tangunt, praefati erimus, progrediamur ad verba.

Caedem hominis iure Francorum mulcta expiatam esse, fuerunt qui negarent, sed pauci. Nam sectatores multos reperire non potuit opinio, quae tot legum capitibus & tot exemplorum fide refellitur. Nuper celebris inter Gallos Abbas Du Bos, qui Francici regni origines facunde magis quam vere descripsit, omnes illas in caedes & furta per legem Salicam constitutas mulctas in id tantum, vt satisfieret cognatis occisi vel damnum passi, non vt animaduersionem publicam & facinoroforum supplicia sisterent, definitas esse contendit. (c) Sed cum ad confirmandam sententiam non nouam afferat argumenta nec noua nec pondere suo multum valitura, non opus est illud, quod aliis in simili per-

(c) DV BOS hiſtoire critique de l'etabliſſement de la Monarchie Francoiſe Liv. VI. Chap. IV. p. 307.

perſuaſione verſantibus repoſitum legimus, iterum deſcribere. Quam bene vero conſtituta ſit respublica, cuius lege ſanguis hominum etiam per ſummum ſcelus effuſus venditur, & in qua paroemia vetus obtinet: *De dar füſte hefft mag ſchlan, und de dar gelt und gut hefft ſchal betalen*, (d) iam non disquiro. Sed hanc faciem, vtut deformem, barbarae Themidi fuiſſe inuitos etiam oportet fateri, cum etiam Childebertus II. Francorum rex, qui ſicariis capitale ſupplicium lege ſua: *Iuſtum eſt, vt qui iniuſte nouit occidere, diſcat iuſte morire*, (e) parum quidem Latina, ſed aequiſſima minatus erat, non multum auctoritatis apud poſteros ſuos habuerit. (f) Tuebatur dirum morem male intellectae libertatis perſuaſio, quam ſaluam eſſe poſſe, ſi ſuppliciis locus daretur, ferox natio negabat. Sed reſurrexit tandem apud plerosque illos populos ſanguinis humani honor, citius aut ſerius, vt quisque vel principum vel ſacerdotum cura miteſcebat, factumque eſt, vt & apud eos, qui tardiſſime reſipiſcebant, cognatis occiſi transactione pecuniaria interdiceretur, & qui poſthabita caedis vltione nummos acceperant, infamarentur

(d) HEIMREICH Nord-Freſiſche Chronick. Lib. II. Cap. XI.

(e) BALUZ. Capitul. reg. Franc. Tom. I. p. 18.

(f) HEINECC. Elem. Iuris Germ. Lib. II. Tit. XXVI. §. 261.

rentur paroemia: *In crumenam cognatum depoſuerunt.* (g).

Quemadmodum itaque per ſe ſatis pernicioſa erat Legis Salicae de caedibus hominum iurisprudentia, ita longe abſurdiſſimum, quod hanc ipſam pecuniae praeſtationem occiſor ſoluendo impar deuoluere potuerit in cognatos ſuos ſceleris puros. Nimirum haec eſt illa conſuetudo, quae priusquam Childeberti II. decreto tolleretur, auctoritate Legis Salicae Tit. LXI. obtinuit, nec tantum Francorum rempublicam, ſed & alias gentes infecit. Certe Sleswicenſibus eundem morem fuiſſe commemoratum legimus, (h) & Chriſtianus III. Daniae Rex demum anno cIↃ IↃ XL. in quibusdam locis eum ſuſtulit: *Item ſo jemand na düſſem dage einen dodt ſchleit, idt ſy wi edder was wyſe dat idt ſchege, deſulve ſchal idt up ſinen egen hals und gude gedahn hebben, und de fründe ſchoelen vam dodtſchlage entfryet ſin, he doh wo he idt doh, edder wor he idt doh.* (i) Plane apud Friſios Orientales ſubſidiaria cognatorum ſolutio non ſolum in caedis, verum & in aliis delictis, velut in ſtupro violento, locum habuit. Sic enim in membranis meis lego ſub tit: *Van verkrechtinge eder gewalt gedaen genich vrouwes perſoen: Unde wyllen dat*

(g) BRYNOLPHI coniectan. in Saxon. Grammat. edit. Stephan. p. 39.

(h) HEIMREICH cit. loc. p. 246.

(i) IBID. L. III. c. 5.

dat ſodanne handadinge, ſodane gelt allene uth ſynen egenen gudern ſal betalen. Und de vrunde one dair nicht tho helpen ſunder oren vryen wyllen. Sed vt ad Francos noſtros redeamus, palam eſt, tunc demum ad ſubſidiariam cognatorum crumenam itum eſſe, *ſi quis hominem occiderit & in tota facultate non habuerit vnde totam legem impleat*, (k) neque hoc aliter, quam cum multis ceremoniarum figuris. Nam primum gens iurisiurandi prodiga duodecim iuratores poſcebat, *quod reus nec ſubtus terram neque ſupra terram plus de facultate habeat.* Inde idem caſam ſuam perambulans ex quatuor eius angulis puluerem colligebat, & collectum ipſe in limine conſtitutus corpore inclinato in proximum agnatum retro proiiciebat, ac denique diſcinctus pedibusque nudis ſepem transſiliens baculumque manu geſtans, quaſi omnium bonorum exſors abibat, eo quidem iuris effectu, vt pecuniam pro caede ſoluendam nunc partim agnatos, partim cognatos praeſtare oporteret, niſi quis eorum iam aliàs pro eodem reo ſoluiſſet, vel adeo pauper eſſet, vt onus in ſe deuolutum in alios cognatorum proximos ſimili puluerис iactu deuoluere neceſſe haberet. Quod ſi adeo nullius laris fuerit tota familia, vt nemo vnus ex ea vel ſolutione vel fideiuſſione reum liberare

(k) Lex. Sal. Tit. LXI. §. 1.

berare poſſet, tunc demum locus erat ſupplicio, & qui aere non poterat, capite ſcelus luebat. Tam horrida fuit illorum temporum Iurisprudentia, cuius beneficio ſicarius pauper, ſed propinquorum diuitiis fretus, ab omni ſanguinis humani perſecutione pulueris exigui iactu ſe redimere poterat.

Barbarae legi magis adhuc barbarum nomen haeſit. Nam & in inſcriptione Tit. LXI. dicitur *Chrenecruda*, & in ipſis legum verbis nec non in decreto Childeberti, qui prauum morem ſuſtulit, eandem vocem repetitam legimus, quamquam magna Codicum varietate. Heroldus & Eccardus ediderunt *Chren ceude*, in codicibus vero Guelferbytanis Eccardo teſte *Chrene cruda* & *chrencruda* legitur, itemque in vetuſtiſſimo Codice S. Galli in Heluetia teſte Baluzio, ac denique *Crinne cruda* & *Chrinnecruda* codex Colbertinus habet, vt obſeruatum eſt a Schiltero (1). Similis eſt ſententiarum varietas, vbi quae vocis obſcuriſſimae vel ſignificatio ſit vel origo diſquiritur, quas quoniam recenſuit & refellit Wachterus, non eſt cur noua diſputatione actum agamus. Eccardi ſane coniectura, quamquam non, vt aliae viri multae, violenta nec inelegans, minime tamen omnium vera videtur. Nam *rene rute* ſcriptum fuiſſe ſuſpicatur, quod idem eſt ac *reine heraus*, vt nunc loqui-

(1) SCHILTER. Gloſſar. v. Chrenechruda.

loquimur. His vocibus acceſſiſſe familiarem Francis adſpirationem *ch*, quam & nominibus hominum & vocabulis rerum frequenter adpoſitam eſſe peruulgatum eſt. Ita nempe reum vacua domo profugum & omnium bonorum exſortem exclamaſſe: *chrene chrute!* i. e. apud ſe omnia vacua, patrimonii nihil relictum eſſe, quod pecuniae ſecundum praeſcripta legis vel magiſtratui vel cognatis occiſi praeſtandae, impenderet. Ad quam coniecturam, ſi cetera conſpirarent, tuendam, nouum adduci poſſet argumentum, quod in charta veteri apud Lobinaeum (m) obſcuri cuiusdam iuris nomen *Keurod* deprehendatur. Hoc enim ipſe, qui chartam edidit, Lobinaeus in Gloſſario ſuo (n) idem ac *Geh rut!* vel vt Galli *ſors dehors!* dictum eſſe putat, & forte ad illud ius pertinet, quo dominus hominem proprium fundo pellere poteſt. Hoc autem exemplo conſequeremur, vt ex eiusmodi formulis *Geh herut!* vel *reine herut!* voces legitimas & nomina iurium orta eſſe demonſtraremus. Sed haec omnis ſapientia Grammatica multum valeret, ſi reum bonis & facultatibus deſtitutum proclamaſſe: *Chrenecruda!* legis Salicae verbis exprimeretur. Iam quando lex non clamare, ſed proiicere *Chrenecrudam*

(m) LOBINEAV Hiſtoire de Bretagne. Tom. II. p. 104.

(n) IDEM, cit. loc. p. 1802.

dam reum egenum iubet, palam eſt, non eiusmodi formulam, ſed corpus, quod tangi & iactari poteſt, puluerem nimirum ex angulis caſae collectum huius vocis ſignificatione contineri.

Probo igitur, & vnumquemuis probaturum eſſe puto, quod Wachterus coniecit, (o) poſtrema vocis parte *cruda* nihil aliud indicari, quam *crut*, *grut* & *krut*, quod non ſolum olim, ſed & ex noſtrae linguae recenti vſu puluerem ſignificat. Sic enim dicimus *zünd-krut*, ſic ſcobem pluribus veterum linguis *grut* appellari Wachterus idem oſtendit; ſic Leibnitius Celtis *gro* dici ſaburram (p) docuit. Addo, non aliunde formulam in fundorum venditionibus olim vſitatam *mit grunt und grot* deducendam eſſe, quale quid etiam in hiſtoria templi S. Michaelis Hanouienſis (q) occurrit: *di gantze Inſel, Wunne, weide, waelde, waſſer*, GRUNT UND GROT, *bodeme, acker* &c. Haec omnia dubii nihil vel parum habebunt. Sed vnde ſit prima vocis pars *chrene* dubitari poſſit, vt & ea reperta totam, quam quaerimus, *chrenecrudam* obtineamus. Wachterus Celticam veterem & hodie Cambricam linguam *cren* dicere ſtabulum,

(o) WACHTER. Gloſſar. v. Chrenecruda.

(p) LEIBNIT. Collect. Etym. in Celticis p. 123.

(q) apud SCHILTERVM in append. Chron. Koenigshov. p. 1143.

bulum, & hinc *chrenecruda* esse *stabuli puluerem* existimat, cui coniecturae nescio an multi subscripturi sint. Nam procul est a Legis Salicae verbis *stabulum*, nec illud, seb domum vel casam suam ad colligendum ex angulis puluerem ingredi reus iubetur. Nisi forte credas, pauperis tabernam recte dici stabulum, quod in ea sub vno tecto iacerent dominus & bos. Sed tamen & tunc haec deriuatio, certe si propinquior haberi posset, e longinquo petita videbitur.

Credo, vocem *chrene* (nam quod ad alteram *chruda* spectat, a Wachtero non dissentio) cum in codice Colbertino recte scribatur *crine*, nihil aliud significare quam Celtarum *crine*, i. e. *siccus* & *aridus*. Nempe hoc consuetum & frequentissimi vsus epitheton pulueris est. Ita Lucanus (r)

Inscius in SICCO *serpentem* PVLVERE *riuum*
Transierat;

& iterum (s)

nam quicquid PVLVERE SICCO
Separat ardentem tepida Berenicida Lepti;

ita plures alii, quorum testimoniis in re nota

(r) LVCAN. Pharsal. Lib. IX. v. 974. (s) IBID. v. 533.

ta ſuperuacuis carere poſſumus. Quod autem *crine* veteribus Celtis ſiccum fuerit, tam certum eſt, vt etiam Pezronius, (t) quamquam parum feliciter, originem Latinae vocis *crinis* inde deduxerit, quod nempe crinibus nihil aridius ſit aut ſiccius. Hoc vero credet, qui crines ſudorem ferre numquam tetigit. Ita vox Legis Salicae *ut ſuper illum chrine cruda iactet* nihil aliud diceret, quam *vt pulverum ſiccum iactet*, & hoc forſan haberet nihil abſurdi neque contorti.

Sed quoniam in coniecturis etymologicis, vt in talorum luſu, ſaepius alea iactanda eſt, quo Venerem, ſi primo iactu non cecidit, pluribus obtineamus, age, ſecundam et a prima quidem nonnihil, at forte parum a veritate diſcrepantem ſententiam afferamus. Conſtat, puluerem in cognatum proximum a reo iactandum ex praeſcripto legis per quatuor angulos caſae conquirendum fuiſſe. Perſpicue Lex: *Et poſtea debet in caſam ſuam intrare & de quatuor angulis terrae puluerem in pugno colligere -- & ſic de ſiniſtra manu trans ſuas ſcapulas iactare ſuper proximiorem parentem.* Itaque ſi probauero *angulum* antiquis dictum eſſe *Horn*, imo *Chern*, *Chreine* & *Chrine*, tunc, opinor, patebit nihil commodius eſſe, quam vt *chrenecrudan* ſecundum ipſa

(t) PEZRON. Antiqu. Celt. p. 384.

ipſa Legis verba puluerem ex angulis collectum dicamus.

Et primum, quod *Horn* ſit angulus, probaturis facile confectum erit negotium, ſi dixerimus Anglo-Saxoes *hyrn-ſtan* appellare *lapidem angularem* teſte Somnero, & eandem vocis ſignificationem pluribus exemplis ab ipſis Wachtero & Schiltero in v. *Horn angulus* confirmatam eſſe, quibus ex membranis meis Friſicis addo: *Iſſet de handadige (der mortbarner) dair ne en tho ſecht, ſo ſal he dat up* DE VEER HORNEN DES HUSES *und oick up de fuerſtede myt Campuechtunge weren* &c. Habes igitur, quod deſideramus, quatuor domus angulos, *de veer hornen des huſes*. Alterum, quod *Horn* etiam *chyrn* & *chryn* & *chren* dictum ſit, multis argumenris conſtat. *Kern*, *Cern* & *Chern* Celtis idem eſt, quod nobis *Horn*, (u) *chyrnig* cornutus, *Cernunnos* & *Kernunnos* deus corniger Bacchus, vnde aliqui deduxerunt noſtrum *Hornung*. Similiter *Ren* veteribus dicitur, quicquid extremum eſt, vnde nobis etiam *Rein* margo. Hinc commodiſſime *Cheren*, *Chren*, cornu, angulus, & *chrencruda* puluis ex angulis collectus. Ita quidem coniecturis noſtris accederemus ad verba Legis quam proxime, & hanc praecipuam dotem interpretationum in Legis Salicae vocibus

(u) LEIBNIT. Collect. etym. Tom. I. p. 104.

Digitized by Google

cibus obſcuris tentandarum eſſe iam aliàs diximus. Atque ſi haec teneas, non obſcurum erit, quid ſit *Chrenecrude*, neque cur illud nomen in antiqua ſanctione de caede hominis vſurpetur.

Nunc dic tu, Poſthume, de tribus capellis. Iam enim obſeruatum eſt, etiam illi Legis Salicae capiti, (x) quo furtum plurium quam trium capellarum coërcetur Gloſſam adſcribi: *Chrenecruda*. Cuius vocis tam inopportuna repetitio Schilterum adeo male habuit, vt legendum eſſe cenſuerit *Cheredunia*. Nempe hoc vocabulum aliàs in eadem lege, (y) quando de furto ſcrofae porcellos ducentis agitur, occurrit. Sed quid hae grunnientes beſtiolae ad illas capriſſantes faciant, neſcio, & me forte non multo melius ſciuit Schilterus. Longe tamen adhuc immitior Eccardus pro *chrenecruda* ſcribendum eſſe cenſet *trene geata*, i. e. tres capellae, quod vt rectius intelligatur, notandum eſt, eum *geata* feciſſe ex noſtro vocabulo *gaiſs* capra. Nimirum talia protrudere poteſt, qui dum interpretis nomen quaerit, graſſatoris non reformidat.

Neque tamen video, quid in hac lite caprina tantopere tumultuandum ſit, aut quamobrem librariorum negligentiam calumniemur, cum ſcriptura ſit recta & proba, interpreta-

(x) Leg. Sal. Tit. V. (y) Tit. II. §. 17.

§. 2.

pretatio vero iaceat ante pedes. *Cruda* variis veterum linguis eſt *turba* vel *grex;* Anglo-Saxonica *Cruth* turba conferta, (z) quod etiam *Curth*, *Cord* vel *Chorta* maiores noſtri ſimili literarum tranſpoſitione dixerunt, ac *Born* & *Brunn*, *bernen* & *brennen.* Sic *Scafchurten* greges ouium, (a) *geize corter* greges caprarum, (b) & quae ſunt huius generis plura (c). Ex vtraque vocis figura *Churt* & *Chrut*, aliae non paucae deſcenderunt. Sic ex *Churt*, abiecta litera C. accepimus *Hurd*, quod Wachtero indice & coetum ſignificat, & gregem, & familiam, & Tartarorum turmis, *den Tartar-Horden*, nomen dedit. Inde *hurt* impetus, *hurten* trudere, nec non Latino-barbarum *hortare*, quod idem eſt, ac Gallicum *heurter.* Quid enim de coetu & conferta turba citius diceres, quam illud *impellere* ac *trudere.* Taceo ceteros huius vocis nepotes, qui longa ſerie propagari poſſent in immenſum. Ab altera ſpecie *Chrut* & *Chrot* Latino-barbarum *Ruta*, *Rupta* & *Rota*, ſimulac adſpirationem abieceris, recipies. Guillermus Brito: (d)

(z) SOMNER. Diction. in v. Cruth.

(a) NOTKER. Pſalm. LXXVII.

(b) WILLERAM. Cant. cap. IV. v. 1. 2.

(c) conf. LEIBNIT. collect. etymol. in Archaeol. Teutone p. 30. SCHILTER. in Gloſſar. v. Churt p. 178.

(d) GVILERM. BRITON. Philipp Lib. V. v. 334.

Digitized by Google

Quos Marchadori ſic clauſit RVPTA.

Et alio loco: (e)

Mille quater pedites tecum lupicaria RVPTA *Fac eat.*

ad quos binos verſus Caſp. Barthius ea, qua ſolet, diligentia tantam huius vocis exemplorum copiam congeſſit, vt nihil noſtrae relictum ſit. Hinc *Rotta* Italis exercitus, ipſumque praelium, (f) hinc Germanicum noſtrum *Rotte*. Atque vt linguis recentibus veterum adhuc bina veſtigia iungamus, hinc eſſe puto, quod in antiqua lege Saxonum *Ruoda* dicatur homo ex turba, vilioris & plebeiae conditionis, quod doctiſſime, ſicut alia multa, demonſtrauit Illuſtris Gaertnerus; (g) hinc demum, vt finiamus, Celtarum eſt *Rhawd*, vt Leibnitius (h) explicat, caterua.

Quae ſi teneas, nec obſcurum, nec dubium videbitur, in voce noſtra *chruda* eſſe gregem. Atqui hunc ipſum quaerimus. Nam & legis Salicae conditores & Ripuariae circa quadrupedum furta ſemper hoc obſeruant, vt primum in ſingula capita poenam ſtatuant, poſtea, ſi quis adhuc auarius furatus ſit, in gregem. Gregem vero, quoniam a natura numerum & terminos non habet, ſanctione defi-

(e) IBID. Lib. VII. v. 148.
(f) REINES. Var. Lib. II. Cap. XIV. p. 245.
(g) GAERTNER ad Leg. Saxon. Tit II. §. 1. p. 22 ſeq.
(h) LEIBNIT. Collect. etymol. Tom. I. p. 138.

definire certius oportebat, vnde gregem equarum ſeptem vel duodecim capitibus, (i) aliorum quadrupedum pluribus vel paucioribus conſtare voluerunt. Similiter in hoc, quem explicamus, Titulo primum de ſingularum capellarum furto praecipitur, & mulcta, ſi quis vnam, vel binas, vel tres abſtulerit, definitur. Sin quatuor abegerit, grex erat, *chruda*; qua explicatione, ſi quid video, nihil certius eſſe poteſt.

Sed cum vox noſtra Malbergica ſit *chrene-chruda*, quid eius primae parti faciemus, *chrene*. Quae ſi quem tenet ancipitem, eum ex eadem Lege Salica ſolabor. Multis enim illa locis furtum & rapinam *chereno* vocat. Sic Tit. XXXIV. §. 3. *Si quis in via alterum adſallierit &* RAVBAVERIT. MALB. CHERENO; quod alibi eodem vocis ſono, quamquam literis aliquanto diuerſis ſcribitur *chaeroeno*. (k) Sic Verelius, Eccardus, & Wachterus (l) oſtenderunt Septentrionalibus gentibus furtum & rapinam dici *Ran* & *Ren;* vnde *rans-hot*, rapinae mulcta, *hu-ran*, depraedatio domus, *ren-val* ſpoliatio mortui, quid ni *ren-chruda*, vel cum familiari Francis adſpiratione *chrenchruda* furtum, vel abactio gregis, quod eſt ipſum in lege noſtra expreſſum delictum. Habes itaque vnius vocis diuerſiſſimas ſignificationes, commode

 tamen,

(i) Lex Salica Tit. XLI. §. 5. Lex Ripuar. tit. XVIII. §. 1.

(k) L. Sal. Tit. XX. §. 10.

(l) WACHTERI Gloſſar. v. Ran.

tamen, niſi fallor, certe ſine vi & ſaluis codicum lectionibus explicatas.

Illud, niſi caprini clamoris iam pertaeſus es, addere licebit, plures voces Malbergicas huic vni legi de furto capellarum adiectas eſſe, & inter ceteras vocabulum *Pectis*. Ad quod Eccardus: Reſcribe, inquit, *geatis*. Nempe perſuaderi nobis poſſe credidit, hodiernum *Gaiſs*, vel *Geis*, veteribus dictum eſſe *geatis*, ſi vel nullum, vt nec addi potuit, adderet argumentum. Imo ſi & hoc daremus, quae foret immodeſtia, tam violenter *pectis* mutare in *geatis*, cum in promtu ſit mitius remedium, vt vnico apice mutato legamus *Peclis*, vel ad ſummum *Peclin*, nempe, vt adhuc non ita pridem loquebamur, *Boecklin*. Celtis veteribus *bec* & *bicq* capram fuiſſe, vt Graecis Βήκη, iam ab aliis obſeruatum eſt. (m)

CAPVT IV.

Ad Legis Salicae Tit. XXII. §. 1. Vindicatur vox Malbergica AFFECTV, *& vnde ſit, explicatur. Similes coniecturae de voce* IDVLGVS *ad Tit. LVIII. §. 11.*

Nunc plane ad magos & ſagas deſcendamus. Vetat Lex Salica, ne quis veneficium feciſſe velit, Tit. XXII. §. 1.

Si quis alteri herbas dederit bibere, vt moriatur.

(m) conf. PEZRON. antiqu. Celt. p. 334.

riatur. MALB. AFFECTV. LEVDI VIIIM. *den. qui faciunt ſol. cc. culpabilis iudicetur.*

Sine dubio, inquit Schilterus, (a) vox *affectu* vitioſa eſt. Nempe Latinam doctiſſimus vir eſſe putat, Malbergi vero Gloſſas ad vnam omnes Germanicas eſſe, quis neſcit? Si vero Latina vox foret, quid ad veneficium *affectus*, animique commotio vel perturbatio? Et tamen codices conſentiunt, aut tacent; nam in quibusdam codicibus Legis Salicae nullas Malbergi Gloſſas contineri, peruulgatum eſt. Si quid ego iudico, libris ſcriptis non multum opus habemus ad hunc locum, cum vtique rectum ſit & probum & Germanicum *affectu*, non Latinum, vt mox videbimus. Eccardum neſcio quid in hoc Legis capite turbauerit. Quaſi enim laxatis ingenii neruis non interpretatur vocem, nec artificiis conſuetis emendat, ſed tollit, & aliam prorſus, quo iure, nemo forte dixerit, in eius locum ſubſtituit. Nimirum in ceteris Tituli XXII. quo malefici coërcentur, capitibus bis legitur Gloſſa TOWESPO ac FALTHO; hanc vt deleta voce AFFECTV primo quoque capiti adſcribamus, perſuadere legentibus voluit, num & poſſit, neſcio; mihi certe minime perſuaſit.

Affacturator & *affacturatrix* veneficus eſt, & venefica, quod doctiſſimi Benedictini, qui

(a) SCHILTER. Gloſſar. p. 14.

Cangium Gloſſarium locupletarunt, (b) exemplis variis docuere. Noſter etiam Accurſius huius rei teſtimonium praebuit. Quando enim Vlpianus (c) illum *indignum* cenſet *militia*, *qui patrem & matrem*, *a quibus ſe educatum dixerit*, MALEFICOS *appellauerit*, addit ille noſter, hoc eſſe, *ſi quis matrem dixerit* AFFACTORATRICEM. In variis veterum linguis *Fata* eſt mulier, vel fatidica, vel venefica. In antiquo lapide Scotico, cuius eſt inſcriptio Normannica: (d)

En Egipte Moiſe a le poeple precha
Scota la file FATA no bien leſcota.
Moiſe in Ægypto multitudini concionante
Scota filia illius FATIDICA *dicto non fuit audiens.*

Eccardus alio loco, (e) cuius ipſe, cum ad Legem Salicam commentaretur, immemor fuit, Hecaten Germanorum vel Velledam alicubi a ruſticis in Miſnia *Frau Faute* dici obſeruauit. Inde Italorum eſt *Fada* & *Fatura*, (f) inde Gallorum *Fée* & ſimilia. Crediderim horum omnium fontem eſſe Celticum *Aſu* i. e. Hepar. (g) Nam & in victimis illae ſacerdotes prae-

(b) CANG. Gloſſar. edit. Benedictinor. v. Affactorator.

(c) L. 1. §. 2. D. de obſequ. par. & patr.

(d) KEYSLER. antiqu. Celtica p. 30.

(e) ECCARD. praefat. ad LEIBNIT. collect. etymol.

(f) FERRAR orig Linguital. p. 135. & p. 137.

(g) PEZRON. antiqu. Celt. p. 374.

praeſertim iecur inſpiciebant, futura viſcerum indicio nunciaturae; multasque faſcinationum ſpecies iecoribus tentatas eſſe veterum ſuperſtitionum gnari norunt. Atque vt a Celtico *Afu* hepar, Galli fecerunt ſuum *foye*, ſic ab *Afata* factum eſt *fata* & *fée*. Dici poſſet Germanicum *Vettel* ex eodem fonte manauiſſe. Nam quod a *vetula* non ſit, Wachterus obſeruauit, (h) nollem tamen ipſe originem quaeſiſſet in voce *Fidel*. Eſt hoc conuicium faeminis ob impuram vitam infamibus, & alicubi praeſertim illis obiici ſolitum, quae philtris & vetitis artibus inuitos amores ſibi conciliant. Quae ſi teneas, fateberis, vocem *affectu* ab illis duumuiris, Schiltero & Eccardo, praeter fas ex lege Salica ſublatam eſſe, quae tum in antiquis, tum in noſtri ſaeculi linguis, ſi nomina veneficorum excutias, non obſcura veſtigia reliquit.

De faſcino nihil amplius adderem, niſi eius, quod ſupra de Vito Amerpachio dixi, quam infelix iurium noſtrorum interpres fuerit, ad vltimum huius *Tituli XXII* caput nouam rationem reddere poſſem. Vetat Lex, ne quis *ligaturis* alteri noceat, & veriſſime poſt alios Eccardus notauit, illam nodorum colligationem prohiberi, cuius ſuperſtitionem ne noſtrum quidem ſaeculum prorſus ignorat, antiqua

(h) WACHTER Gloſſar. in v. Vettel.

vero multis teſtimoniis commemorarunt, vt Alpheſibaeus ille Virgilianus (i)

Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores
Necte, Amarylli, modo; & Veneris, dic, vincula necto.

Huc pertinent ex indiculo Paganiarum verba de *filacteriis & ligaturis*, ad quae nonnulla lectu digna Eccardus congeſſit. (k) Huc etiam omnium conſenſu pertinet capitulare Caroli M. *ne caucolatores, nec incantatores, nec tempeſtarii vel* OBLIGATORES *fiant.* (l) Et tamen in hac aperta legis ſententia noſter Amerpachius (m) *obligatores* ineptiſſime illos coërceri cenſet, qui ſe ſuamque ſalutem pacto daemonibus obligauerunt.

Inter has ſuperſtitiones verſantibus quid obſtat, quo minus alii loco medicinam afferamus, quem iterum Eccardus inclementer habuit. Non ſatis ſcio, quae cauſſa fuerit, vt Legis Salicae conditores defuncti cadauer alteri ſuperponere vetarent, vetuerunt tamen *Tit LVIII. §. n.*

Si quis quis hominem mortuum ſuper alterum in petra aut in naufo miſerit, MALB. IDVL-

(i) VIRGIL. Eclog. VIII. v. 78.

(k) ECCARD. Franc. Orient. Tom. I. p. 419.

(l) Capitul. Reg. Francor. edit. BALVZ. Tom. I. p. 235.

(m) AMERPACH. ad conſtit. Caroli M. p. 248.

IDVLGVS. *Sol. XXXV. culpabilis iudicetur.*

milis ſanctio *Tit. XVII. cap. IV.* continetur, quamquam ſine gloſſa Malbergica. Ceterum in ipſis verbis nulla nos offendit difficultas. Nam *Naufo* ſarcofagum indicari, peruulgatum eſt, & ſi quid iudico, cadauer cadaueri ſuperponere Legislatores Franci, non ſuperſtitione quadam ducti, vt a nonnullis acceptum eſt, prohibuerunt, ſed ne furta tegantur, neue cadauer ornamentis ſpoliatum, alio cadauere ſuperiniecto lateret, quo facto ſepulcrorum violatoribus impunitas conciliari poſſet. Certe vtriusque tituli XVII. & LVIII. inſcriptio nonniſi *de exſpoliationibus* loquitur, & omnia, quae in illis continentur, capita furtis & violationibus cadauerum & ſepulcrorum oppoſita ſunt, vt ſuperuacua ſit quaeſtio, quo ſuperſtitionis genere Franci ad eam ſanctionem permoti fuerint.

Illa vero nos coquit cura, quid ſibi velit Gloſſae vocabulum obſcurum IDVLGVS. Nam ſi Eccardum audis, cito confecta res erit, *Reſtituo*, inquit, IBAR LEGVT. Satis pro imperio. Sed imperia critica, praeſertim adeo ſaeua, ſi ſine prologo ſunt, & argumentorum colore carent, quin & obſequio careant, quot exemplis didicimus? Longae forent & ſine fine querelae, ſi ſingulis viri auſis hoc carmen occineremus. Illud ſane huius capitis &

multorum aliorum argumento palam erit, regulas quae modeſtiam Criticis imperant, & ne facile praeter vnum vel alterum apicem quicquam mutetur, iniungunt, ita non dicam ab eo neglectas, verum & in contrarium circumactas eſſe, vt vnum vel alterum apicem intactum & immotum reliquiſſe, ſufficere ſibi exiſtimauerit. Itaque cadaueri cadauer imponere dici putat *Ibar legut*, vel *Uber leget*, quod vtique Legis ſententiae reſpondet; quam recte Codicibus, non opus eſt, vt moneamus.

Dolg, vt paucis dicamus, antiqua vox eſt, & plurium aliarum, quibus *occultatio* ſignificatur, ſcaturigo. Sueonibus nunc etiam dicitur *dólia*, celare, abſcondere. Hinc, ſi quid iudico, recte deduxit Wachterus *dolch* ſicam, quae geſtatur occulte. Nec aliunde vetus Theotiſcum *dougli* occulte. Otfridus (n) *In* DOVGLI *ni ſprah ih niouuiht*, in occulto locutus ſum nihil. Gothis *Dalg* eſt fovea, cauerna, vt apud Vlphilam: (o) *Bai in* DALGA *driuſand*, ambo in foueam cadunt. Sic apud eundem (p) *Iddalja* eſt deſcenſus, qui ſine occultatione non eſſe poteſt, vnde patebit, quid ſit *Idulgus*, & quam commode ſine mutione ſeruari poſſit. Apage igitur *Ibar legut*.

CAPVT

(n) OTFRIED. C. 187.
(o) VLPHIL. Luc. VI. 39.
(p) conf. FR. IVNII Gloſſarium Vlphila-Gothicum p. 97.

CAPVT V.

Aliter, quam vulgo fieri ſolet, explicantur Legis Salicae Tit. II. §. 18. & 19. Simulque quid ſit BABENE, *contra Eccardum diſputatur.*

Quanquam nulla res eſſe contemtior potest illa, quae in Tituli II. §. 18. & 19. verſatur, eſt enim Lex de furto ſuis caſtrati, dicere tamen auſim, ex variis cauſſis horum capitum interpretationem ad quaeſtiones nec inutiles, nec iniucundas pertinere. Nam agitur de parte religionis Francorum, & quotquot interpretes inſpexi, ad vnum omnes in his capitibus ſacrorum paganorum reliquias ſe reperiſſe ſibi videntur; quod omnino mirum in ea gente, quae priſcam ſuperſtitionem eiurauerat, & in ipſo legis Salicae prologo gloriata erat, quod ſanctionis auctor ſit *gens Francorum inclyta, nuper ad Catholicam fidem conuerſa, immunis ab haereſi*, quaeue, quicquid idolorum memoriam refricare poſſet, regibus Chlodoueo eiusque progenie repetita legis praelectione deleuerit. Itaque non iniucunde diſputabitur de tam inexpectatae Legis ſententia; vt commodius diſputari poſſit, videamus primum de verbis. Ait Lex:

Si quis maialem ſacrifum furauerit, & cum teſtibus, quod ſacrifus fuiſſet, potuiſſet ille, qui

qui perdidit approbare, DCC. *den. qui faciunt ſol.* XVII. *cum dimidio culpabilis iudicetur* - -

Alium vero maialem, qui ſacrifus non fuerit, ſi quis furauerit, MALB. BRARECHO, *& in alia mente* BABENE DC. *den. qui faciunt ſol.* XV. *culpabilis iudicetur.*

Maialem dici ſuem caſtratum, certum eſt, vnde dicatur, non aeque. Sit illud a dea Maia, cui ſacrificatus fuerit, vt eſt in Gloſſis Iſidori, vel a menſe Maio, quo ſectus eſſet, vel plane, quod omnium minime ſequerer, a Germanico *mehen*, ſecare, vt viſum eſt Eccardo, nobis perinde erit. Wendelini ſententiam, quod ſit MAIALIS ad Maiumae feſtum nutritus, ab Eccardo refelli video, & recte, ſi Campus ille Maius, quem Pipinus inſtituit, cum antea Martio menſe celebraretur, a Wendelino intellectus ſit. Ceterum non eſt contemnenda de vero & antiquo Maiumae feſto coniectura, quod a Romanis & prouincialibus multa laſciuia celebratum eſſe nouimus, & adſuetis ad hoc voluptatum genus populis adeo difficulter extorqueri potuit, vt ſint, qui ab his luſibus ac iocis choreas & ſaltationes Kalendis Maiis die S. Walpurgis habitas, & poſtea per fabulam infamatas, ortas eſſe cenſuerint. (a) Illud certum eſt, Galliarum

(a) ANDR. RIVINVS V. §. 10. de panegyr. Maium. Cap.

liarum incolas eo tempore, quo Chlodouei liberi regnabant, ſpectacula veteris moris, ludosque Circenſes, & id genus alia ludicra tam vehementer amaſſe, vt poſtquam Vitiges Oſtrogothus Francorum regibus Theodeberto, Childeberto & Chlotario terrarum tractum, & in eo Arelaten, cederet, eandemque ceſſionem conſenſu ſuo Iuſtinianus confirmaret, de reſtaurandis Arelatae ludis circenſibus cogitatum ſit. (b) Sic & Maiumam his gentibus adamatam, & in his laſciuis epulis ſuem, qui, vt eo laetius pingueſceret, eſectus erat, appoſitum eſſe, & eundem a feſto, in cuius vſum ſaginabatur, *Maialem* dici conſueuiſſe, forſan non abſurde diſputaretur. Campus vero Maius, qui ſub Chlodouei liberis adhuc Martius erat, & non tam feſtiuitatis cauſſa, quam vt luſtraretur exercitus, & de republica conſuleretur, inſtituebatur, procul eſt ab hoc feſto Maiumae, quamuis non diffitear, etiam in eo poſtea laetitiis locum datum, & in illis ſues, certe venationis cauſſa, verſatos eſſe, vt vetus, ſed incerti nominis, poëta in ſuis de Campo Martio verſibus oſtendit. (c) Quicquid harum rerum ſit, hoc indubitatum eſt, maialem in lege noſtra porcum caſtratum dici, cuius duae ſunt ſpecies, ſacrifi, vel non ſacrifi,

(b) PROCOP. de bello Goth. L. III. Cap. XXXIII.
(c) apud CANIS. antiqu. Lect. Tom. II. p. 474. ſq. edit. Basnag.

crifi, nempe vt communiter explicatur, vel ſacrificio, vel vſui promiſcuo deſtinati.

Maialem non ſacrifum Gloſſa Malbergica *Babene* vocat, & ſi Eccardum audis, a voce *Babe*, *Pape*, vel *Pfaffe*, ſacerdos, cui acceſſerit in calce negatio *ne*, vnde ſit BABENE, *non ſacrifus*. Quae coniectura, vereor, vt cum Grammaticae regulis conueniat. Quamcunque enim vocem linguae noſtrae ſiue veteris ſiue recentioris e media turba eligas, ſi cum ea combinata ſit negatio, hanc ſemper in capite vocabuli reperies, non in calce. Sic *einerley* & *neinerley* olim oppoſita ſunt, ſic *einig* & *neinig*, ſic *iemand* & *niemand* aliaque infinita, & ex hac linguae lege dicendum fuiſſet *Nebabe*, non *Babene*. Vocum autem Malbergicarum interpretem religioſe Grammatices leges obſeruare teneri, quis ambigit? Dicam poſtea, quid de vocabulo BABENE ſentiam. Nunc ceteras cauſſas, ex quibus illa de ſacerdotibus interpretatio dubia, vel potius falſa, videri poſſit, perſequar. Haec enim mea temeritas eſt, vt vtrumque legis caput de ſue ſacrifo, quicquid hoc ipſum ſacrificii veſtigium ſuadere videatur, de reliquiis impurae ſuperſtitionis accipiendum non eſſe, contendam. Quid enim, vt iterum quaeram, in repetita Legis praelectione, quae paganorum Sacrorum veſtigia deleuit, haec inopportuna victimae commemoratio?

Haud

Haud equidem ſum neſcius, ſuperſtitionem illis temporibus, quibus vera religio vix efflo-ruerat, nondum prorſus emarcuiſſe, vt fit, quando plurium ſaeculorum credulitate altas radices egit. Et Procopius auctor eſt, (d) Francos in expeditione Italica, cum adhuc regnarent Chlodouei liberi, ſuſcepta, ne a victimis quidem humanis abſtinuiſſe. οἱ βάρβαροι γὰρ οὗτοι (Franci) χρισιανοὶ γεγονότες τὰ πολλὰ τῆς παλαιᾶς δόξης φυλάσσουσι, θυσίαις τε χρώμενοι ἀνθρώπων, καὶ ἄλλα οὐχ ὅσια ἱερεύοντες, τάυτη τε τὰς μαντείας ποιούμενοι. *Nam ita Chriſtiani ſunt iſti barbari, vt multos priſcae ſuperſtitionis ritus obſeruent, humanas hoſtias aliaque impia ſacrificia diuinationibus adhibentes.* Talia Claudius Maltretus (e) fingi dicit, quod facilius dici, quam probari poteſt. Nam inter omnes quidem conſtat, qua conciliorum ſeueritate & Cleri ſollicitudine prauis ritibus, qui ex ſuperſtitione priſca reliqui erant, obuiam itum ſit, & tamen interdum res adeo parum feliciter ceſſit, vt morum quorundam, quos ne nunc quidem obliuio deleuit, primordia in hac paganae veſaniae nebula quaerere oporteat. Itaque illis temporibus, quibus vix ſuperſtitionis iugum excuſſerant Franci, multa priſtinae ſeruitutis ſtigmata duraſſe, cur fingi diceremus? Concilium

(d) PROCOP. de bello Gothico Lib. II. Cap. XXV.

(e) ad allegatum Procop. locum.

cilium Aurelianenſe II. quod a. Ic XXXIII. habitum eſt, inter alia canone XX. ſtatuit: *vt Catholici, qui ad idolorum cultum non cuſtodita ad integrum accepti baptiſmi gratia reuertuntur, vel qui cibis idolorum cultibus immolatis guſtu illicitae praeſumptionis vtuntur, ab eccleſiae coetibus arceantur.* (f) Qualia, ſi cum Procopii teſtimonio iungas, tempore liberorum Chlodouei, qui Legem Salicam relegi iuſſerunt, nondum omnes priſcae ſuperſtitionis focos in hac gente exſtinctos fuiſſe, palam erit. Sed hoc eo non valet, vt in ipſis Legum tabulis, regibusque non tam conniuentibus, quam auctoritate ſua iubentibus ſeruatas dicamus victimas, & vt *ſues ſacrifi* habeantur in pretio, vel *non ſacrifis* carius aeſtimentur, publicis ſanctionibus conſtitutum eſſe credamus. Nimirum hoc fuiſſet prauos mores legum praeſidio munire, & disiectas principum imperio aras genti ſuopte iam vitio in priſca religione ſatis contumaci reddere. Quicquid igitur de reliquiis ſacrificiorum circumfertur, illud de ferocia populi chriſtianis moribus difficulter aſſueſcentis accipiendum eſt; ex Legibus procul amoueamus ſuſpiciones, quae regum auctoritate barbaris ſacris poſtliminium dediſſe perſuadere poſſent, ſi vllo alio, vt in his capitibus vtique fieri poteſt,

(f) IO. HARDVINI p 1176.
collect. concil. Tom. II.

poteſt, modo rem explicare, ſaluamque ſeruare liceat.

Accedit, quod prope omnium gentium, qui cruenti Deorum cultores fuerunt, & victimas immolarunt, conſenſu hoſtias eſſe oportuerit integras & ſanas, & nulla labe, minime autem omnium mutilatione deturpatas. Romanis plerumque victimas maſculas placuiſſe, adeo verum eſt, vt Seruius ad Virgilii verſum (g)

Caeſa iungebant foedera porca

& Porphyrion ad Horatii (h)

Seu poſcat agna ſiue malit hoedo

poëtico iure foeminas maribus ſubſtitutas eſſe notauerint, velut ſaepe in carminibus aliàs; qua de re viri docti ad Quinctilianum (i) nonnulla monuerunt. Haud equidem ignoro, ſuum etiam femellis locum in ſacrificiis fuiſſe, & vt erant victimarum claſſes ſecundum Diuorum imperia & conditionem diſpoſitae, ita quibusdam vel foetidas ſues, & turgeſcentes ſcrofas oblatas eſſe. Exſectos vero porcos aris adduci potuiſſe, non memini me legere; neque enim moueor Gloſſis Iſidori, quas ſupra adduxi, ſed ab aliis ſcriptoribus refelli video, neque conueniret cum illa Sacrorum diſciplina, quae intonſos etiam agnos, & vaccas nullo iugo domitas & quicquid il-

(g) VIRGIL. Aneid. VIII. 641.
(h) HORAT. Lib. I. od. 14.
(i) QVINCTIL. Lib. VIII. cap. III.

libatum erat, poſcebat, tantum abeſt, vt beſtias admiſiſſet, quibus culter ſexus honorem exciderat.

Francorum vetus ſuperſtitio multa caligine tegitur, ſed conceſſerim non tantum, verum etiam contenderim, quod eis aeque ac Romanis placuerit

ex humili victima porcus hara. (k)

Septentrionales praeſertim populi talem hoſtiam immolabant, & vt ſaepe aliàs, ita ſolemniſſime in magna Feriarum Iolenſium celebritate. Tenet etiam nunc, vt Verelius auctor eſt, (l) inter ruſticos Sueciae conſuetudo, vt in hoc feſto verris figuram ex pane componant, eamque per epulas illas ſolemnes in menſa conſtituant, de quo tum veterum ſacrificiorum, tum recentium ceremoniarum ritu multis ab Arnkielio, (m) Eccardo, (n) & Keyslero (o) diſputatum eſt. Ex his duo ſunt, quae digna notatu videntur. Primum vt ſuillas victimas praeſertim Diis, qui foecunditatis datores habebantur, Freio nimirum vel Soli, Freaeque Veneri oblatas eſſe ſentiamus, quo eſſet etiam in beſtiae foecundiſſimae ſacrificio ſymbolum vbertatis. Sic & hodie Suecorum ruſtici, Verelio teſte, verrem

(k) OVID. amor. Lib. III. Eleg. XIII. v. 15.

(l) VERELIVS in not. ad Hervarar. Sagam p. 130.

(m) ARNKIEL Cimbriſche Heyden-Religion. p. 128. & pag. 154. ſeq.

(n) ECCARD. de rebus Franciae oriental. Tom. I. p. 410.

(o) KEYSLER. Antiqu. Celticae p. 157. ſeqq.

rem ſuum ex pane confictum ſeruant vſque ad purpureum ver, donec ſemina ſulcis credenda ſunt. Tunc enim in fruſta ſecant, & partem in corbem, ex quo ſemen proiicitur, mittunt, partem equo aratori, partem denique ſtiuam tenentibus ſeruis comedendas porrigunt, vberiorem ita ſibi futuram eſſe polliciti meſſem. Alterum, cuius memores nos fuiſſe iuuabit, in illa verris Freio mactandi religioſa tractatione ponendum eſt. Nam ita ſuperſtitioſe adducebatur ad aram, vt etiam impoſitus fuerit equo, ne terram tangeret, neue eam tangendo pollueretur, quod ex numis apud Camdenum reperiundis a Keyslero monitum eſt. Cum his tu ſacrificium ſuis caſtrati compone, ſcilicet, quod nobile fuiſſet foecunditatis ſymbolum; aut tali victimae cultrum ſectoris admoue, quae ne quidem terram contaminationis metu tangere potuit.

Poſtremo, vt ſemel ſuſpiciones noſtras, quod *ſues ſacrifi* non ſint ad ſacrificium deſtinati, finiamus, illud negligendum non eſt, in Lege Salica perquam vili pretio ſuem ſacrifum a non ſacrifo diſtingui. Illum enim furatus praeſtabat Solidos XVII. huius fur, Solidos XV. Itane vero, ſi hoc veſtigium paganae ſuperſtitionis genuinum eſſet, Francos tam parcos & negligentes Deorum ſuorum cultores exiſtimabimus, vt victimas ſuas ſacrificiis iam deſtinatas nonniſi duobus ſolidis ca-

riores aeſtimauerint, quam beſtias profanas? aut furto viliſſimae beſtiae prope eandem mulctam adſignabimus, quam conſecratae, cuius ablatio fraudulosa non procul aberat a ſacrilegio. Quae ſi omnia coniungas, nimirum quod Legem Salicam inter barbarae religionis inſtituta natam quidem, ſed vnà cum ſuperſtitione correctam, & pagani ritus reliquiis purgatam eſſe ſciamus; quod veteres populi ſues quidem immolauerint, ſed integros, non exſectos, imo potius foecunditatis ſymbolum daturos; quod denique tam exigua pretii in ſuem ſacrifum & non ſacrifum conſtituti diſcrepantia ſit, vt prope incredibile videatur in adeo laxa ſanctione religionis causſam verſatam eſſe, parum aberit, quin eiusmodi dubiis vndique nos vrgentibus de alia interpretatione Legis cogitandum eſſe cenſeamus.

Ex his obſtaculis, quae communem Legis interpretationem premunt, aliqua certe praeuidit Eccardus, quamuis diſſimulauerit. Ait ille vero, conditum videri hoc Legis Salicae caput, cum Franci adhuc pagani eſſent, ſed ſtetiſſe ſanctionem euerſis etiam his ſacris, cum & chriſtianis ſacerdotibus porcina dona mitti quondam conſueuerint. Itaque ſus ſacrifus, qui olim ad vſum ſacrificii deſtinatus dicebatur, nunc ſacris mutatis eſſet is, qui deſtinabatur dono munerique Clericis faciendo. Quod an recte dicatur, ambigendum cenſeo. Non quaſi neſciam inter alia dona

dona Monachis & Clericis quandoque ſues datos & aſſignatos eſſe. Notus eſt omnibus ille porcus paſchalis, *Oſter-Friſchling*, & annuum porcelli donum, quod alicubi fratribus S. Antonii ruſtica gens afferre conſueuit, quorſum pertinent verſiculi

Ein blaues Creutz und magers Schwein
Soll ſtetig um und bey ihm ſeyn,

quos ex Io. Adami Loniceri libro de ordinibus eccleſiaſticis adduxit vir celeberrimus Io. Erhardus Kappius, cum de Antonianis nuper multa doctiſſime diſſereret. (p) In monaſteriis ſtati erant dies, quibus haec grunnientia dona fratribus afferri ſolebant, plenaeque ſunt chartae veteres eiusmodi vel cenſus vel donorum veſtigiis; vt ſuperuacuum foret, ſi Clericorum vorax lardi natio multis teſtimoniis celebraretur. Sed quis eiusmodi porcos dixerit ſacrifos ? neque enim quod antiſtitibus donatur *ſacrificium* dici memini. Germanicum *opfern*, quod eo ſenſu nonnunquam accipitur, eſt ab *offerre*, nec ſemper ſacrum ritum indicat. *Maialem* vero *ſacrifum* dici, quem quis parochi menſae deſtinauit, niſi ſimilium locorum argumentis probaretur, pauci conceſſerint.

Itaque res redit ad veram vocis *ſacrifus* ſignificationem, *ſacrifum* autem infuſcata barbarie Latinitas non quod ſacrificatur, ſed cui

(p) KAPPII diſſ. de Antonianis §. VIII. & §. XIV.

ſacrificatur, appellauit. Sic *arbor ſacrifa* non eſt, cuius forte lignis ad accendendas victimas vteremur, ſed ipſa

luſtrata cruoribus arbos, (q)

cui maieſtas antiquitatis apud plebem diuinos honores conciliauit. Tales autem apud originis Germanicae vicinasque gentes fuiſſe permultas quercus Iouis, & Sedinenſis, & ipſum Druidum nomen, & alia plura notae ſuperſtitionis veſtigia demonſtrant. Et hoc ſenſu concilia ſaepe in cultum *arborum ſacrifarum* inuehuntur, vt Cangius (r) & Eccardus (s) oſtenderunt; ſimilique ſignificatione *fontes ſacrifi* dicuntur. Sed quis hunc ſenſum ad maialem noſtrum referret. *Sacrifi* autem elogium victimae dari non reperio, certe nullum eius attulit exemplum Cangius, nullum Spelmannus. Quod vero in Gloſſis Pithoeanis ſus ſacrifus *ceterorum defenſor* dicatur, vnde ſit haud intelligo, certe Cangii philoſophia, qua defenſionem illam tueri & explicare conatur, praeterquam quod vaga ſit, nullis etiam argumentis nititur.

Ecquid igitur tandem huic Salico *maiali ſacrifo* faciemus quem ad religionem referre nec res patitur, nec nominis ratio. Dicam quid ſentiam paucis. *Sacrificare* Latinis interdum eſt mactare, non victimam, ſed profanam & vſus pro-

(q). LVCAN. Lib. III. v. 405.

(r) CANGIVS Gloſſar. Orient. Tom. I. p. 412.

(s) ECCARD. Franc. v. Arbor ſacrifus.

promiſcui beſtiam. Ita Plinius (t) *ſacrificatas capellas* & *animalia ſacrificata* dicit, quae *mactata* vulgo vocamus, idemque pluribus exemplis Reineſius demonſtrauit. (u) Fere vt apud Graecos idem ille vir magnus (x) θύειν & ἱερεύειν commune *mactandi* vocabulum eſſe, pecudesque omnes promiſcue ἱερεῖα dici oſtendit. Neque aliunde eſt, quam ab illo ancipiti vocum vſu, ipſiusque rei ſimilitudine, quod coqui veteres de artis ſuae praeſtantia ſimilique ſacerdotibus officio gloriati ſint, vt apud Menandrum (y)

οὐδὲ εἷς
ΜΑΓΕΙΡΟΝ ἀδικήσας ἀθῶος διέφυγεν
ΙΕΡΟΠΡΕΠΗΣ πως ἐστὶν ἡμῶν ἡ τέχνη.

Nemo
Coquo iniuria affecto impune abiit,
Etenim quodammodo ſacram ſpeciem habet
ars noſtra.

Quid quod eadem vocum mactandi & ſacrificandi confuſio in lingua Germanica veſtigium reliquerit. *Blotan* Gothis & Anglo-Saxonibus promiſcue dicitur, & victimam caedere & pecudem quamuis mactare. (z) *Blotmonat*, Nouember, tum ob antiqua ſacri-

(t) PLINIVS hiſt. nat. Lib. XXVIII. Cap. XIX. & Lib. XXXVI. Cap. XXI.
(u) REINES. Var. Lib. II. Cap. XV. p. 585.
(x) IBID. Lib. III. Cap. VI. p. 446.
(y) MENANDR. fragment. edit Clerici. p. 50. ſqq.
(z) STIERNHIELM Gloſſar. ad Vlphilam v. Blotar.

crificia, quae illo menſe celebrabantur, ſic appellatus eſt, tum quod patresfamilias eodem tempore de mactandis in vſum familiae pecoribus cogitare ſoleant, vnde Belgis etiam nunc *Schlachtmaend* nominatur. (a) Quam ſi mecum viam ingrediaris, difficultatis ſupererit forte parum. *Maialis* eſt porcus exſectus, & ad ſaginam praeſertim deſtinatus. Nam hoc conſilio caſtrari ſues, quis neſcit. *Sacrificare*, interdum eſſe mactare docuimus; itaque *maialis ſacrifus*, eſt porcus caſtratus, qui quod iamiam pinguefactus ſit, vtiliter mactari poteſt, vt vno verbo dicamus *ein Schlacht-Schwein*; contra *maialis non ſacrifus*, qui quidem exſectus eſt, ſed quod nondum ſaginatus, a cultro diutius vacationem habet. Ita linguae ratio permittit; itanon opus eſt in Lege populi ad Chriſtianam fidem perducti paganae ſuperſtitionis reliquias quaerere; ita denique non mirabimur, ſuem ſacrifum duobus tantum ſolidis pretium non ſacrifi ſuperare.

Haec omnia, ni fallor, adeo commodo nexu cohaerent, vt nullum, quod amoueatur dubium ſuperſit, praeter vnicum. Nam in editione Legis Salicae, quam Carolus M. recenſeri iuſſit, (b) *ſus* ille *ſacrifus* nouo epitheto dicitur *votiuus*, quod omnes ad votum referunt, eodemque referrem ego, niſi ex tot causſis demonſtrauerim, quicquid de religione cogi-

(a) SCHILTERI Gloſſar. p. 123.

(b) Lex Salica a Corol. M. emendata Tit. II. §. 14.

cogitari possit, ab his duobus capitibus procul arcendum esse. Qualia qui mecum sentiet, tantum abest, vt *votiui* vocabulo commoueri possit, vt potius illud nouum maialis elogium eam, quam attulimus coniecturam, fortius confirmare videatur. Diximus autem, *sacrifum* suem esse *mactabilem*, & pinguedine sua cultro epulisque opportunum. Linguae vero nostrae gnarus sciet *vöden* & *voden* esse nutrire, saginare, de cuius vocis ambitu & natura dabitur occasio pluribus ad aliam quandam Malbergi glossam differendi Quis autem in barbaris temporibus ita hospes est, vt nesciat, innumera Germanorum vocabula imperitae adoptionis beneficio in sermonem Romanum transcripta esse, vt addito ad calcem Latinitatis charactere ex moneta Latina prodiisse viderentur. Ita *sacrifus* & *votiuus* iterum conspirarent, non illa communi & a religiosis actibus, sed a gula epularumque apparatu deducta interpretatione.

Nihil itaque superest, quam vt de glossa Malbergica *Babene* paucis dicamus, de qua iam supra monitum est, leges Grammaticae violari, si quis cum Eccardo deducat a *Babe*, vel *Pfaffe*, cui ad calcem accederet negatio *ne*. Nempe hanc ad initium non ad finem vocis ex indole linguae collocandam esse, satis, opinor, ostendimus. Nunc autem huic *Babe* cucullum suum tanto confidentius detrahemus, postquam ex illis, quae prolixe

diſputata ſunt, apparuit, quicquid ad hoc caput de religioſo dono vel voto diceretur, id forte fruſtra dici. Dicamus igitur, vnius literulae mutatione totum negotium commode confectum iri, ſi legeremus *Barene*. Noſtra lingua *Baer* eſt *maialis*, quod ad hanc vocem ita probauit Wachterus, vt meis argumentis parcere poſſim. Ea vox, quae nunc vrſum ſignificat, olim & omne genus ſuillum, & verres praeſertim, maxime vero caſtratos, indicauit. Fuerunt, qui contumelioſum nomen *Baerenhaeuter* ex hoc fonte deriuarent, quaſi eſſet *Baerenhüter*, quod alii dicunt *Swindriver*, ſubulcus. Quicquid hac de re dicendum ſit, nemo, quod *Baeren* fuerit porcus caſtratus, ambiget, & ita conſpirabit vtraque vnius capitis Gloſſa Malbergica, *Brarecho*, quod in codice Guelferbytano recte legitur *Barecho*, i. e. *Barco*, vel vt nunc *Borck*, & altera *Barene*, ſi tibi placeat noſtrae lectioni & coniecturae ſubſcribere.

Si quis autem ita ſit religioſus, vt popam contumaciter poſtulet, illi ſuaſor eſſem, ne *Babene* ſuum aliter explicet, quam vt nunc etiam Weſtphali vocem *Nunne* vſurpant. Apud eos ſubulci ſuem caſtratam dicunt *eine Nunne*, Belgae etiam *Nonne*, (c) velut alibi *equum caſtrare* exprimunt *ein Pferd münchen*. Haberes itaque in maiali porco ſimilem vocis luſum

(c) VIT. AMERPACH. ad Conſtit. Caroli M. p. 238.

sum *Babene.* Sed si me audis, procul esto tam ab ipsa legis interpretatione, quam a Malbergi glossa, quicquid est sacrificulorum.

CAPVT VI.

Ad Legis Salicae Tit. XV. §. 3. quid sit FRIOLASIA, *& ad eundem sit §. 1. & 2. quid* THEVRORA.

Qui de nimiis & plerumque intempestiuis emendationibus, quibus Malbergicas Glossas Eccardus torsit, conquesti sumus, nostraeque sententiae forsan non contemnenda dedimus dabimusque posthac argumenta, nunc ad Tit. XV. §. 3. Legis Salicae circumagamus rem in contrarium. Ausim enim praestare, vocem FRIOLASIA, vt ibi legitur, quamuis ille frequens communium lectionum temerator Eccardus seruatam velit, omnino corrigendam esse, sed modestissime, vt mox videbimus. Nunc primum audiamus verba:

> *Siquis cum ingenua puella, & spontanea voluntate ambarum partium coiuerit, & in occulto moechatus fuerit,* MALB. FRIOLASIA MDCCC. *den. qui faciunt solid.* XLV. *culpabilis iudicetur.*

Eccardus ad haec nihil aliud, quam quod *Friolasia* proprie sit manumissa, liberta. Nimirum vt illud intelligeremus, non opus erat moni-

monitore. Sed hoc vrgemur ſcrupulo, quid ſit, quod in Gloſſa Germanica veniat liberta, cum verbis Latinis contineatur ingenua. Niſi enim Gloſſatorem erroris arguamus, & quod ille hominum genera, libertorum nimirum & ingenuorum, confuderit ſuſpicemur, neſcio, qui *Friolaſia* tolerari poſſit. Pugnaret enim vox Malbergica cum textu, quod eſt vitioſiſſimum, & Gloſſatoris oſcitantiam calumniari poſtremum remedium eſt, ad quod, niſi ceteris omnibus ereptis, non confugimus, numquam vero confugimus cum ingenii laude. Clariſſimus Wachterus apud Germanos ingenui nomen cum libertis communicatum eſſe cenſet, (a) vellem etiam argumenta ſententiae ſuae addidiſſet, quorum nullum reperio, praeter hunc ipſum Legis Salicae locum, ſed qui nobis de interpretatione eius diſquirentibus haud ſufficit. Taciti tempore ſcio libertos Germanorum non multum ſupra ſeruos fuiſſe, (b) quod quibus & modis & temporibus mutatum ſit, nondum comperi. In tabulis quidem manumiſſionum adeo laxas interdum libertatis datae formulas legimus, vt non procul ab ingenuitate abeſſe videantur liberti. Sic in charta de manumiſſione per denarium, quam Bignonius in notis ad Marculfum edidit, (c) continetur, *vt* (homo ille denaria-

(a) WACHTER Gloſſar. Germ. Cap. XXV. v. Frei, ingenuus.
(b) TACIT. de mor. Francor. Tom. II. p. 905.
(c) V. BALVZ. Capit. Reg.

narialis) *quaqua ei libuerit, omnibus modis liber & velut nobili prosapia genitus esset, liberaliter per Imperialem auctoritatem pergat.* Et tamen si legesipsas consulueris, audies, *hominem denarialem non antea in sua agnatione haereditare posse, quam vsque ad tertiam generationem perueniat.* (d) Talia, ni fallor, ab ingenuitate longissime recedunt, & argumentum, quod ex charta Bignoniana duci posset, eneruant; siue quod in ea plus scripserit Notarius, vt fuit semper haec natio peracuta, quam secundum leges oportuerit; siue quod haec ipsa charta sit priuilegium, adeoque non recte ad commune ius trahatur. Quicquid etiam harum rerum sit, nondum confecta res esset, si vel quosdam certis modis manumittendi liberatos plenam ingenuitatem obtinuisse concederemus. Tunc enim hoc vnum forte consequeremur, vt quibusdam libertis ingenuorum ius & nomen haesisse, recte diceretur; sed hoc nondum liberaret glossam nostram ab ἀκυρολογίας reprehensione, quae versa vice ingenuam dicit libertam. Itaque qui vocem FRIOLASIA tuentur, non illud probare debent, quod recte libertis detur nomen ingenuorum, nam hoc ab argumento nostro alienum, vel certe non satis esset; sed quod ingenuum olim manserit appellatio liberti, & hoc forte, quae mea est incredulitas, nemo facile demonstrabit.

Ita-

(d) IBIDEM Tom. I. p. 398.

Itaque quid huic monſtro feminae faciemus, quae in Lege ingenua eſt, in Gloſſa vero detruditur in libertae conditionem, &

deſinit in piſcem virgo formoſa ſuperne.

Reddamus ei ſuam ingenuitatem vnius literulae mutatione, ſed vt aegre ne ferat, ſi tunc vitii, quod corpore paſſa eſt, expreſſius veſtigium appareat. Lego nimirum *Friolagia*, non magno motu, ſed commodo ſenſu ad exprimendam Venerem, in quam maſculus cum ingenua nec inuita ruit, quaeue ipſa huius Tituli §. 3. coërcetur. *Ligen* & Gothis & Anglo-Saxonibus & Francis eſt fornicari. (e) Sic in Gloſſis Boxhornianis *Vbarligida* dicitur adulterium, velut & nunc *Oberhurerey*; Sic *Laeger-vite* eſt apud Verelium *Lager-Buſſe* vel mulcta fornicationis. In Legibus Aethelberti apud Dav. Wilkins (f) *Gif Friman with fries mannes wif* GELIGED *&c.* i. e. *Si liber homo cum liberi hominis vxore concubuerit.* Similiter vt apud Normannos in hoc delicto vſus erat vocis *purgiſt.* Ita in Legibus Guilielmi Conqueſtoris (g) *Ki altrei eſpouſe purgiſt*; i. e. *qui ſponſam alterius vitiauerit.* Hinc etiam eſt, quod in Lege Friſionum Titulus IX. quo fornicatio coërcetur, inſcriptus ſit *de Farlegani*, neque Sibrandus Siccama cauſſam habuit, vt mutaret in *Horlegani*, reprehenſus hoc nomine

(e) WACHTER Gloſſar. Anglo-Saxon. p. 4. v. Ligen.

(f) WILKINS. Legg.

(g) IBIDEM p. 22.

nomine a Wachtero. (h) Habes igitur *Friolagia*, seu fornicationem cum ingenua, quam hoc ipsum Legis caput vetat. Nam vt de voce *Frio* multa dicamus, puto non opus esse, nisi hoc vnum, vt obseruemus in lege mulctari & *ingenuae* & *non imitae* compressionem, vtramque vero conditionem, si nos sequeris, in *Friolagia* deprehendes, neutram in *Friolasia*.

Veniamus ad sanctionem de stupro violento, quae eodem Tit. XV. §. 2. continetur.

Si quis cum puella per virtutem moechatus fuerit: MALB. THEVRORA MMD. *denar. qui faciunt sol.* CXII. *cum dimidio culpabilis iudicetur.*

Eccardus legit *Theurona*, quod esset nostrum *Dirne*. Sed quae olim *Thiarna* vel *Theorna* dicebatur, vt multis exemplis probauit, nescio an *Theurona* vocari possit sine exemplo. Praeterea talis Glossa nihil aliud quam *puellam* significaret; ita vero nemo, quid Lege sanciretur, vel vetaretur, intelligeret. Hoc autem praesertim in Glossis Malbergicis quaerimus, vt continuo, quae delicti figura Legum verbis contineatur, vocum Germanicarum beneficio cognosci possit. Quare, si mihi ius aequum sit cum Eccardo, & vt ille in voce *Theurora* literam vnam mutauit, ita mihi vnam eamque primam ab-

(h) WACHTER. in v. Forlegani.

abiicere liceret, tunc ſupereſſet *Heurora*, veterum noſtraque lingua ſtuprum, *Hurerey*. In cuius vocis originibus euoluendis, vt plerumque aliàs, otium nobis fecit Wachterus. (i) Inuenies apud eum Anglo-Saxonicum *Hure*, Francicum *Huor*, Gothicum *Hor*, Belgicum *Hoer;* & ſi vox, vt ego mihi quidem inter ceteras origines hanc potiſſimum eligerem, a vocabulo *heuren*, mercede conducere, deſcendat, (quaeſtuariae vero nomen vnde commodius deduceretur?) obtineremus recta via illud, quod quaerimus, *Heurora*. Sic in iure prouinciali Alemannico: (k) *Suer ainez mannez chonen oder magt* BEHVERT &c. Imo antiquiſſimus huius vocis vſus eſt, vt certe patet ex compoſito *Horgrift*, de quo iam lex Baiuuariorum: (l) *Si quis propter libidinem liberae manum iniecerit, aut virgini ſeu vxori alterius, quod Baiuuarii* HORGRIFT *vocant, cum* VI. *ſol. componat*. Ad quem Bauaricae legis locum ἐν παροδῷ notabimus, falli Wilkinſium, (m) quando cum *Horgrift* confundit Anglo-Saxonicum *Hergripa*, quae in Legibus Henrici I. occurrit. Haec enim ſunt diuerſiſſima, & *Hergripa* vt ipſe Wilkinſius vidit, ab eo committitur, qui alterius capillos inuolat, quorſum tus

(i) IBID in v. Hur. ſcortum

(k) Ius prouinciale Alemann. Cap. XXXVI. 1.

(l) Lex Baiuuar. Tit. VI. §. 2.

(m) WILKINS Gloſſar. ad LL. Anglo-Saxon. v. Hergripa

etiam pertinet vetus Saxonicum *Feaxfang*. Aſt *Horgrift* non ad laedendum alium, ſed libidinis cauſſa fit, & a Friſiis dicebatur *Baeſſanck*. Sic enim in membranis meis, quibus Friſiae Orientalis ius continetur: *Bæsfanck, dat is dat men ener vrouwen unboueſch antaſtet buten den clederen und binnen den clederen.* Tenax pudicitiae gens Germanorum de parum caſtis attrectationibus multa legibus ſuis cauit. Sic apud eosdem Bauaros ſimile delictum eſt *himilzorun*, vel vt praeſtantiſſimi viri Schilterus (n) & Heineccius (o) legendum eſſe monuerunt *himitzorun*, nempe *Si quis* (feminae) *indumenta ſuper genucula eleuauerit*; quibuscum iterum fere conueniunt Friſii mei: *Wort ene vrowe ouer de banck geworpen, dat ſe blike beneden den gordel*; velut eſt apud Petronium: (p) *Habinnas furtim ſurrexit, pedesque Fortunatae ſuper lectum immiſit; Au! au! illa proclamauit aberrante tunica ſuper genua compoſita.* Sic etiam nunc Hiſpanorum more, vt Famianus Strada refert, feminis contumelioſiſſimum habetur, quando vel ſupra genua veſtis attollitur, vel plane praeciditur, & in bello Belgico Fridericus Ducis Albani filius mulierculas quasdam Montenſes, quae per

E ſpe-

(n) SCHILTER Gloſſar. Iur. Germ. Lib. II. Tit. XXII. §. CVIII. p. 450.

(o) HEINECC. Elem. (p) PETRON. Satyric. Cap. 67.

ſpeciem olera vendendi exploratrices egerant, non ignominioſius domum remitti poſſe cenſuit, quam ſi eis veſtes decurtari iubeberet ſupra genu. (q)

Redeamus ad ſanctionem noſtram. Si HEVRORA legas, legeres forte non male, melius certe hoc ſtupri nomen, quippe de quo lex cauet, huc traheretur, quam Eccardiana *Dirne*. Sin nimis moroſus illam literam T, quam abſtulimus, repoſcas, reddam, ea conditione, vt *Theurora* deducas a vetere *Theu*, quod & nunc apud Belgas *Teef* i. e. ſtuprata dicitur. Olim *Thew* & *Thiwa* ſeruus & ancilla vocabantur, (r) ſed contraxit poſtea vox, vt aliae quaedam honeſtae, turpitudinis notam, eodem nimirum fato, quo apud Gallos *garce*, quae quondam omnem viraginem ſignificauit, aeque ac *garçon*, puerum. (s) Sic variis veterum linguis *Queene* modo virginem, modo nuptam, iterumque reginam & ſcortum deſignat, (t) ſimilemque fati viciſſitudinem experta eſt ignominioſa inter noſtrates vox *Metz*, ſcortum, certe ſi eam deriuationem probas, quam Wachterus adtulit. His modis iterum detegeretur in voce *Theu-*

rora

(q) STRADA de bello Belgico Lib. VII. c. 248.

(r) v. ECCARD. ad Legem Salicam p. 29.

(s) LOBINEAV in Gloſſario ad Hiſtor. Bret. v. Gars. LEIBNIT. Collect. Etymol. Tom. I. p. 17.

(t) SCHILTER. Gloſſar. v. Chenun. p. 167.

rora ſtuprum, quod ad aptandam legi Gloſſam opus eſt; & habebis commodum ſine lectionis mutatione ſenſum, vt omnino carere poſſis Eccardiana emendatione *Theurona.*

Inter meretricia nomina verſantes binis verbis de alio ſimili dicamus. Vocantur enim ſcorta Lege Caroli M. *Gadales.* Sic eſt in Capitulari de Miniſterialibus Palatinis: (u) *Similiter de* GADALIBVS *& meretricibus volumus, vt apud quemcunque inuentae fuerint, ab eis portentur vſque ad mercatum, vbi ipſae flagellandae ſunt.* Nihil in huius vocis interpretatione Cangius extricuit, vt monet Illuſtris Heineccius, (x) qui feliciſſima coniectura docuit, eſſe a Germanico *Gaden*, i. e. camera, vel fornix, in quibus hae infelices libidinum victimae proſtant. Et ſic facile repudio, quod aliàs mihi venerat in mentem, corruptam, vt ſunt in hoc capitulari aliqua, videri vocem, & vnius literae reſtitutione corrigendam eſſe, *Gaudales.* Mouebar Gallica dictione *filles de joye*, & quod in Gloſſis Monſeenſibus apud Pezium (y) concubina dicatur *Friudilinna*, & quod praeter alios poëtas Propertius (z) ſaepe celebret ea,

quae praeterita collegit GAVDIA *nocte.*

(u) BALVZ. Capitul. Reg. Franc. Tom. I. p. 343.

(x) HEINECC. Elem. Iur. German. Lib. II. Tit. XXII. §. 172.

(y) p. 378.

(z) PROPERT. Lib. II. El. XI. v. 9.

Sed vtique praeſtat explicatio ſine motu literarum, & vt iterum dicam, aeque certum credo *gadales* a *gaden* dici, quam fornicarias a fornice. Atque vt hoc genus feminarum quaeſtuariarum a loco, quo proſtant, appellari, veroſimillimum eſt, ita non poſſum adſentiri doctiſſimo Wachtero, qui nomen ſexus honeſtum, *Frauenzimmer*, ſimiliter a loco, quo feminae habitant, deriuauit. Nam *Frauenzimmer* primum gynaeceum, & poſtea per metonymiam feminas ibi conſiſtentes, (contentum pro continente,) dictas eſſe, nobis perſuaderet, ſi cum illo rudi veterum Germanorum cultu conciliari poſſet delicata gynaecei ſeparatio. Poſſet quis ad hanc vocis originem confirmandam Iuris Alemannici teſtimonio vti. Nam inter res, quae in Morgengabam nouae nuptae donantur, refert libri auctor (a) *gezeune und* GEZIMMER *ob der erde*. Satis vero iam aliunde conſtat, quid hoc ſibi caput velit, & quam parum probaturus eſſet, qui gynaecea Germanis fuiſſe, hoc argumento probare conaretur. Rectius ad ea inuenienda vetus Lex Alemannorum nos duceret, (b) in qua puellae *de primo genecio*, & rurſus *de alio genecio* commemorantur. Sed quicquid nomen blandiatur, rem ipſam ad claſſes & ordines ancillarum

(a) Ius prouinciale Alemann. Cap. XX. §. 2.

(b) Lex Alam. Tit. LXXX. §. II. III.

larum pertinere, palam eſt. Quemadmodum enim mancipiis Romanis ſuae fuerunt decuriae, vt ex multis lapidibus patet, & ad Petronium (c) viri docti oſtenderunt, poenaeque ſeruilis ſpecies habita eſt in inferiorem decuriam coniici; ſic & Germanis aliquos ſeruorum gradus & ancillis gynaecea vel claſſes fuiſſe, pluribus locis, ſi nunc id ageremus, probari poſſet. Itaque procul eſt ab illo, quod quaerimus, gynaeceo, hoc Alamannicum, quod non incommode Schilterus dicit textrinam, (d) in qua ſeruae data penſa trahunt, aliisque muliebribus operis vilioribus vel dignioribus defunguntur. Accedit, quod maiores noſtri gynaeceum non verterint *Frauenzimmer*, ſed ipſam Graecam *Gynaecei* vocem in lingua ſua retinuerint, vt Walafridus Strabus auctor eſt. (e) *A Latinis Theotiſci multa - - - item a Graecis, vt Kylch Calicem, Vatter Pater, Mater Moutter*, GENEZ *a Gynaeceo, quae Graece dicuntur κύλαξ, πατηρ, μήτηρ, γυναικεῖον.* Hinc ſi vel hanc muliebrium aedium partem apud noſtrates olim ſeparatam fuiſſe conſentiamus, intercedet tamen Walafridus, ne nomen eius *Frauenzimmer* faciamus, quandoquidem Graecae vocis vigor ſuus etiam in Germanica

(c) PETRON. Satyr. cap. 48. p. 240. edit. Burman.

(d) SCHILTER. ad alleg. L. Alem. locum in append. KOENIGSHOVEN p. 690.

(e) WALAFR. STRAB. de reb. Eccleſ Cap. VII.

manica lingua remanſit in hoc truncato vocabulo *Genetz*. Itaque ſine dubio praeſtat antiquae vocis *cymmer* & *cymar* meminiſſe, quae Cambris *ſocium* ſignificat, & Cimbris, certe ex quorundam ſententia, nomen dedit. Quid enim pronius, quam vt hoc *ſociale* nomen in ſequiore ſexu *Frauenzimmer* inueniamus, cum & de maſculo peruulgatum ſit *Jung-Geſell*. Ad idem enim redeunt voces *geſell* & *cimmar*, illud virili, hoc molliori ſexui iungitur, ſatis accurata, noſtraeque coniecturae veriſimilitudinem aliquam conciliatura harmonia.

Sed redeamus ad Legem Salicam, a qua dum diuergimus, in fornices & gynaecea delapſi ſumus. Conſtare puto, ſiue nobiscum in eo, quod iam tractauimus, capite *Heurora* legere malis, ſiue *Theurora* retinere, vt tamen ita interpreteris, ac a nobis factum eſt, praeſtare vtrumque variis modis Eccardiana *Dirne*, quam veteres Franci, non, vt ille voluit, *Theurona*, ſed *Thiarna* nominauerunt. Sed vt hoc tolerari adhuc poſſet, ita neutiquam audaciſſima coniectura feretur, quam idem noſter ad huius Tituli §. 1. attulit. Vetat Lex: *ne quis vxorem alienam viuo marito ferat*, cui binae adſcriptae ſunt gloſſae, prima quidem *Abtica*, quod *Abtige* vel *Abtoege*, vel vt nunc loquimur, *Abziehen*, Eccardus interpretatur. Num recte, non facile dixerim, certe nec reprehendam, quando non adeo immo-

immodeſtum eſt, mihi vero melior explicatio non ſuccurrit. Sed altera Gloſſa, quae prolixior, &, ſi quid iudico, ex difficillimis vocum Malbergicarum eſt, prolixas habet contra violentiam Eccardi querelas. Ait Gloſſator *Arbatheus en Lanthamo*, in quibus verbis qui raptum vxoris alienae cernere cupit, (oportet autem omnino tale quid in obſcuriſſima dictione contineri,) is niſi cernat acutum, ſatius eſt, ſi auertat oculos. Nam caecutire malo, quam cum Eccardo legere *charla lheveent anter namo*, quo nihil poteſt eſſe inſolentius, praeſertim cum etiam tantis auſis nihil praetexatur, quam conſuetum illud imperium: *Corruptus ſi quisquam locus ; ego reſtituo.* Quicquid additur etymologiarum, *charla* eſſe *virum*, & *namo* noſtrum *nehmen*, non minus tritum, quam verum eſt, ſed ab hoc loco valde alienum, niſi prius redieris in gratiam cum codicibus, quos ita ſecari poſſe negabunt etiam illi, qui ceteroquin ſecant crudeliſſime. Multo leuiore motu, & appoſite ad ſententiam legis, ſcriberem *Abbatheuren anthramo*, diceremque, primam vocem idem ſignificare, quod nos dicimus *abhuren*, vel *verhuren*, alteram vero genuinam Francicam nempe *andremo* i. e. alienum eſſe, foretque ita Gloſſae ſenſus: abſtrahere alteri ſtupro vxorem. Et tamen, ſi quis haec ſerio proponeret, quamuis Eccardiano

tumultu longe ſint mitiora, nihil aliud peteret, quam vt rideatur.

Non auſim itaque genuinam obſcuriſſimi loci correctionem praeſtare, neque enim omnia Malbergi vitia me ſanare poſſe profeſſus ſum, dicam tamen binis verbis, quid ſentiam. Schilterus, vt Capite I. monui, bonis codicibus vſus eſt, & interdum meliores harum vocum lectiones Gloſſario ſuo inſeruit, quam ab Heroldo accepimus, aut quam Eccardus ex codice Guelferbytano expreſſit. Schilterus igitur in MSCto inuenit (d) *Abbatouelentemo*, quam in vocem mihi non aliud ius poſtulo, quam vt vnam literulam addere, vnam transponere fas ſit, lecturus *Abbalto leuentemo*. Sic enim *Abbalto* noſtrum eſſet *abbalten*, quod accuratiſſime ſeductionem vxoris alienae ſignificat. Et haud parum veroſimilitudinis coniecturae noſtrae accedit, quod etiam in codice Guelferbytano ad hunc locum legatur *affalthecha*. Inde *leuentemo* ſignificaret id ipſum, quod in Lege continetur, *marito viuo*. Terminationem autem *emo* multis Francorum vocabulis accedere, Schilterus iam obſeruauit. (e) Ita ſine vi non abſurde mederemur obſcuriſſimae voci. Neque enim metuo, ne quis occurrat, aeque magnam lectionis meae ab Heroldina diſcrepan-

(d) SCHILTER. Gloſſar. p. 3.

(e) IBID. p. 264.

crepantiam videri, quam Eccardianae. Nimirum ſuperflua foret defenſio, multum intereſſe, num quis ingenio confiſus ita graſſetur, an cauſſae ſuae ſecum habeat aduocatum, codicis auctoritatem. Nam ſi & nos fallimur, quod in hoc lubrico praecipitio facile poteſt accidere, fallimur tamen cum codice, quod ſatis eſt ad auertendas reprehenſiones.

CAPVT VII.

Quid ſit CHANGICHALDO *in Lege Salica Tit. XIV. §. 10.*

De ſtupro violento Lex Salica Tit. XV. cauit, & nos diximus capite ſuperiore. Nunc age de longe atrociore facto videamus, ſi quis plane alterius ſponſam, dum ad maritum pompa ſolemni ducitur & iam illud: *Veſper adeſt iuuenes!* cantatur, vitiauerit. Ait Lex Tit. XIV. §. 10.

> *Si quis puellam ſponſatam drubte ducente ad maritum, & eam in via aliquis adſallierit, & cum ipſa violenter moechatus fuerit;* MALB. CHANGICHALDO VIIIM. *den. qui faciunt ſolid.* CC. *culpabilis iudicetur.*

Seuera ſanctio, pro indole iurisprudentiae Francicae. Nam ne quidem ingenui caedem grauiore mulcta ſicarius luebat, quam ſolidis ducentis, & dignus erat dura coërcitione, qui florem violenter decerpebat, cum is, ad

quem pertinebat, iam ad eundem carpendum manum prope porrexiſſet. De ſordibus Latinitatis, quibus hoc Legis caput aſperſum eſt, nihil dicam, ſunt enim vulgaria, vel ſatis ab aliis explicata. Solam, vt aliàs plerumque, Malbergi Gloſſam *Changichaldo* excutiamus, cuius poſtrema pars intellectu facilis eſt, prior obſcuritate tegitur. Eamus ex more noſtro primum ad Eccardum.

Ait ille, *chaldo* pecuniam vel mulctam dici, *Gelt* & *Geltung*, vt eſt noſtri nunc oris figura, & hoc nemo temere vocabit in dubium, niſi grandine exemplorum ſimilium obtundi velit. Sic enim *Rannechald*, *Lenechald*, *Focichald*, *Alfchald*, *Alchald*, & ſimilia Lege Salica dicuntur, ſic & *Changichald*; & hactenus res bene procedit. Nunc quando eum *Changi* de noſtro *ſchaenden*, i. e. vitiare, ſtuprare, accepiſſe video, ſubſiſto. Nam lectionem oporteret mutare, vt *chandi* pro *changi* ſcriberetur, & ſibilum praefigere, rebusque omnibus ita diſpoſitis duplex remaneret ſcrupulus, alter, quod nondum liqueat, fueritne Francis veteribus vocabulum *ſchaenden* eodem vſu, quo nobis, cognitum; alter, quod ſi vel hoc daretur, nondum ſtuprum violentum, & ſponſae quidem, & atrocitatis tantae infamia turpe ſatis exprimeretur hac voce, quae quoduis ſtuprum, etiam illecebris affectatum & ſine vi commiſſum, ſignificaret. Non auſim

auſim praeſtare, nobis de vocis *changichaldo* interpretatione cogitantbus incidiſſe meliora, dicam tamen quid inciderit. *Chengiſt* Francorum, Anglo-Saxonum, aliarumque gentium linguis indicat equum admiſſarium, interdum etiam caſtratum, (a) vt ſaepenumero vocum ſignificationes circumaguntur in contrarium. Apud antiquos frequentiſſime, noſtrisque temporibus vnice admiſſarii nomen eſt, omni vero tempore, linguisque plurimis in eius infamiam verſum eſſe videmus, qui aeſtu inſano ruit in Venerem, & gaudia, quae blanditiis non obtinebat, extorquet. Sic *admiſſarii* voce M. Tullius vſus eſt, (b) & eadem alii ſceleſtos homines in nefandam cum ſexu maſculo libidinem ſtimulatos increpant, vt abunde dictum eſt a Lexicographis. Saepe vero in Gloſſis Malbergicis, vt aliàs demonſtrabimus, non propriae voces adhibentur, ſed translatae, praeſertim ſi nulla propria vim omnem rei, quae deſcribenda venit, ſatis exprimeret. Quis vero poteſt pruritus inſanior cogitari, quam puellam ingenuam, & alii deſponſatam, & domum mariti noui ducendam, & in ipſa pompae nuptialis ſolemnitate, imo in via publica, & violento ſtupro vitiare. Talis nebulo niſi *admiſſarii* nomen mereatur, neſcio qui relictus ſit huic infamiae locus. Plane

(a) WACHTER. Gloſſ. in v. Hengſt.

(b) CICERO in Piſonem Cap. XXV.

Digitized by Google

Plane Legis Salicae conditor, cum hoc caput ſcriberet, de adhinnientis equi aeſtu cogitaſſe videtur, cum etiam vſus ſit verbo *adſallierit*, quemadmodum hodie quoque de admiſſura beſtiarum & praeſertim equorum vtimur voce *beſpringen*. Itaque non adeo reprehendendum videri poſſet, ſi quis legeret *Changischaldo* i. e. mulcta hominis inſane aeſtuantis, & admiſſarii ritu etiam in via publica in deſtinatam Veneri caſtae victimam proruentis. Eſto, tuum, Lector, iudicium, ſerione talia diſputare liceat, an per luſum.

Si tamen ille hinnitus tibi moleſtus ſit, compeſcam, aliamque coniecturam niſi tutiorem, certe modeſtiorem ſubſtituam. *Ganz* noſtra lingua *totum*, *vniuerſum*, dicimus, ſed vnde dicatur, ignoramns. Ipſe Wachterus, quem paucarum vocum origines latuerunt, & cuius in inquirendo diligentiam, inueniendi magna felicitas adiuuit, in veterum monumentis nullum huius vocis veſtigium ſe reperiſſe fatetur. (c) Eſt tamen antiqua ſine dubio, neque enim, tametſi noſtris temporibus noua vocabula componimus ex vetuſtis, eodem modo fingeremus plane ſimplicia; certe monoſyllaborum recentium exempla oppidò rara deprehendentur. Francis igitur vſitatum fuiſſe *gantz* recte coniicit Wachterus; num idem bene deriuauerit a Latino

(c) WACHTER Glóſſar. v. Gantz.

Latino *cunctus*, iam non diſquiro. Qui ſponſam ita violenter compreſſerat, ſoluebat VIIIM. denarios, vel CC. ſolidos, qui faciunt *totum hominis Weregeldum.* (d) Atqui ſolent iurium antiquorum conditores in conſtituendis mulctis proportionem ſecundum Weregeldum capere, praeſertim vbi de corporis laeſionibus agitur. Ita ſemper in membranis meis Friſicis mulcta, quae in totius Werigeldi ſummam excurrit, in quodcunque tandem delictorum genus ſtatuta ſit, exprimitur *een heel lyf*, dimidia pars eius, *een half lyf*. Lex Salica Tit. XXXII. §. 15. mulctat eum, qui alteri linguam exciderit IIIIM. denariis vel C. ſolidis, & adſcribitur huic capiti vox *Alchalt*, vel vt legendum poſtea demonſtrabimus, *Alfchalt*, nempe *dimidia pars Werigeldi*. Iam quando in illum, qui ſponſam vi temerauit, totius Werigeldi ſummam CC. ſolidos lex ſtatuit, quidni leuiſſima vnius literulae inflexione legeremus *Chancichalto* pro *Changichalto* i. e. totum Werigeldum. Certe non abhorreret res a ſumma mulctae, quae huic capiti adſcribitur, & haberemus, quod fruſtra quaeſitum eſt, noſtri vocabuli *Gantz* non obſcurum in vetuſtiſſimis linguae Francicae reliquiis veſtigium.

Ita malo, quam ex Schilteri (e) ſententia vocis originem in *Changi* vel *Gange* i. e. cunnus

(d) Lex Salica Tit. XLIV. §. 1.

(e) SCHILTER. Gloſſ. p. 164.

nus muliebris quaerere. Praeterquam enim, quod hoc ipſum vocabulum & eius, vt a Schiltero traditur, ſignificatio variis prematur dubiis, tum & hoc praeſertim, quod in *Changichaldo* doctiſſimus vir notum illud *ius cunnagii* vel *Marchetae* reperiſſe ſibi videatur, a Lege noſtra valde alienum eſt. Cum enim haec nomina vectigal ab hominibus propriis pro libertate matrimonii contrahendi ſoluendum, vel mulctam ab eo, qui alienam ancillam compreſſerat, domino defloratae praeſtandam ſignificet, quid hoc vtrumque faceret ad Legem de vitiata per vim alterius ſponſa? Nam ſolo concubitu ſimilitudinem haec inter ſe habent, cetera diuerſiſſima ſunt, adeoque praeſtat interpretationem ſequi, qua totus delicti ambitus factique atrocitas, vel eius poena exprimitur, quales binas coniecturas a nobis propoſitas eſſe putamus, quam quae vaga foret, pluribusque rebus & inter ſe valde diſcrepantibus aptari poſſet. Ceterum magis adhuc abhorreremus ab interpretatione Schilteriana, ſi ex Wachteri ſententia abiiciendum ſit, quicquid obſcoeni eſſe creditur in vocibus *Marcheta*, *Reutſchoſs* & ſimilibus, et quicquid de veteri iure, quo dominis hominum propriorum vel vaſallorum ſponſas deuirginare licebat circumfertur.

Digna res eſt cuius mentionem, cum ita ferat

(f) v. Reit-Schoſs.

ferat occasio, paucis faciamus, interpretem linguae nostrae Wachterum in Glossario (f) vectigal illud, quod olim multis locis, nunc etiam alicubi dominis pro consensu in matrimonium impertiendo soluit consueuit, non solum ab obscoenis, quae vulgo iactantur, originibus liberasse, verum & nominum eius quorundam turpitudinem indagatis castioribus fontibus, eluisse. Constat enim, plurimorum consensu non ita pridem creditum esse, Scotorum & nescio quarum adhuc gentium iure, quod etiam in Germaniam penetrauerit, obtinuisse, vt reges vel alii domini pudicitiae florem, in nouis nuptis delibarent; Cui consuetudini cum propter ingentem foeditatem purior disciplina posuerit obicem, mansisse vectigal ab his, qui nuptias contrahunt, praestandum, & ipsius rei sordes in nominibus huius census obscoenis subsedisse. Non eorum omnium primus est Wachterus, qui rem ipsam, & intercepta regio beneficio sponsorum gaudia in dubium vocauerint; & si quid iudico, μάλα πυῤῥωνικῶς in vtramque partem disputari posset, si digna foret prolixo studio turpis historia, vel turpis fabella. Nollem cum Wachtero facere, quando nullis omnino veterum monumentis rem foedam contineri oggerit. Vetus omnino de hac incontinentia regum quorundam fama fuit, & de Britannis satis antiquus auctor Solinus

(g)

(g) *Nulla* inquit *regi datur femina propria, ſed per ordines, in quamcunque commotus ſit, vſuram ſumit.* Quod quidem, fateor, non accurate ſponſarum deuirginationem exprimit; aſt cum rem niſi turpiorem, certe hac, de qua quaerimus, nihilo caſtiorem indicet, parum aberit, quin ex huius antiqui ſcriptoris qualicunque ſuffragio de fide ceterorum, qui aliquanto recentiores ſunt, in illa quaeſtione bene ſperemus. Qui quicquid eſt teſtium huius ſpurcitiei ſcire cupit, eos adeat, quos allegant Cangius (h) Spelmannus (i) Gundlingius (k) Weſtphalius (l) Keyslerus (m) Eſtor (n) & alii plures. Cui enim non dictus ille Hylas? Et crediderim, diu duraſſe mali moris memoriam, non ſolum ſcriptorum teſtimoniis, verum & populi rumoribus, hominumque recordatione. Nam cum Boërius referat, (o) ſe ipſum interfuiſſe cognitioni, quando in curia Metropolitani Bituricenſis parochus ex antiqua conſuetudine primam vniuscuiusuis ſponſae noctem appellatione interpoſita petebat, & prauus mos decreto

(g) SOLINI Polyhiſt. cap. XXII.

(h) CANGIVS Gloſſar. Latin. v. Marcheta.

(i) SPELMANN. Gloſſ. eadem v.

(k) GVNDLINGIANA P. X. Cap. vltim.

(l) ERN. IOACH. WESTPHALIVS de ſacco & libro p. 36. ſeqq.

(m) KEYSLERVS de mulieribus fatidicis p. 404. ſeqq.

(n) ESTOR de Miniſterial. p. 122. ſeqq.

(o) BÖER. deciſion. 297. I. 17.

creto tolleretur, existimare non possem, qua tandem ratione pruriens ille nebulo cum aliquo colore causſam suam egisset, si omnem illius iuris & vigorem & memoriam relegaremus ad fabellas.

Quicquid de re ipsa dicendum sit, (facile enim patiar antiquitatem turpitudinis absolui) illud in dubium nemo vocabit, cum & nostris temporibus alicubi vsu seruetur, quin homines proprios vxorem ducturos dominorum consensum pretio quodam redimere oportuerit. Et huius iuris iactantur aliqua nomina, quae vix edideris coram Catone, quamuis plurimarum gentium linguis frequententur, nihilque mirum sit, quod lasciua plebs in rebus ad nuptias spectantibus Fescenninas locutiones excogitauerit, & illud pretium, quo quis amplectendae sponsae potestatem acquisiuerat, paullo liberius appellauerit. Et tamen ne in his quidem vocibus obscoenitatis maculam tulit Wachterus, sed *Reit-Schos* ab antiquo *Rad* & *Rait* coniugium, vnde nostrum *Heirath*, *Marchetta* vero a *Merch*, quod Cambris est puella, deducit, neutrum ab equitationis impura, quae aliàs placuit parum pudicis auribus, etymologia. Ad haec, quamquam ingeniose disputata, inciderunt mihi aliqua, quae disputarem in contrarium, ipse ceteroquin valde pronus ad eligendas, si detur optio, vocum origines, quae castas aures

non laedunt, repudiatis, quae offendunt, omnibus. Aſt primum de voce *Reit-Schoſs* neſcio cur multum laborauerit vir doctiſſimus. Nam ſi bene memini, nullis illa veterum momentis continetur, neque genuinum huius vectigalis nomen fuit, ſed a recentioribus excogitatum eſt, vt antiquam vocem *Marchetta*, quam a *March*, equus, deducunt, tanto clarius exprimerent voce Germanica. Nollem antiquum huius dictionis vſum abſciſſe negare; quis enim tantae lectionis eſt, vt omnia populi noſtri iura, diplomata, & chartas, in quibus occurrere poſſet, perquiſiuerit, aut quis tam tenacis memoriae, cui tale nomen elabi non poſſet? Hoc tamen, nec forte praeterrem moueor, quod recentiorum omnes, qui vocabulum expreſſerunt, nullum auctorem laudauerint, vt laudarunt multos in nominibus huius iuris ceteris, ipſisque verbis non obſcure prodiderint, vſum eius ad explicandam vna voce *Marchetam* potiſſimum ſpectare. Quapropter non merebatur caſtitatis defenſionem haec dictio *Reit-Schoſs*, quam ſi confinxere recentiores, vt confinxiſſe vtique videntur, nullum dubium eſt, quin ab equitatione traxerint. *Marchetae* bini ſunt fontes, *March*, equus, & *Merch*, puella, neuter contemnendus, hic etiam praeferendus caſtitatis cauſſa, ſi vocum interpreti inter laſciua plebis dicteria licet eſſe caſto. Ipſe aliàs, de

Me-

Megapolitana dictione *Klauen-Thaler*, quae prorsus idem significat, quod Scoticum *Marcheta*, similem coniecturam attuli. (o) Cum enim Keyslerus (p) satis e longinquo rem repetat, & *Klauen-Thaler* ideo, quod beneficio nummorum vnguibus dynastae sponsa eripiatur (refert enim rem ad antiquam, de cuius fide modo disputauimus, deuirginandi consuetudinem,) dictam esse coniiciat, existimaui, origines commodius obtineri posse a voce *glau*, quae in Marchia & alibi quoque *pulcrum* significat, vt sit *Glauen-Thaler* pulcrarum puellarum census, velut Angli rem eandem appellant *Maiden-Rents;* & sic *Marchetta* similiter esset puellae coëmtio. Sed ne alterum *Marchetae* frontem, a voce *March*, equus, deductum, veram Hippocrenen, exarescere prorsus patiamur, cogitandum est, multis aliis parum pudicis nominibus in variis etiam linguis, quando de hoc iure agitur, locum datum esse. Huc *ius connagii*, & *coxae laxandae*, huc Gallorum *Droit de Cullage*, huc Pedemontanorum *Cazzagio* & similia spectant, quae si ferenda sunt, vt ego certe non video, quo castitatis velamento tegi possent, ecquid est, cur ad *Marchetam* corrugemus frontem? aut cur hanc vocem a ceterorum indole separaremus,

(o) v. Diss. nostr. de Iurisprudentia veterum Germ. symbolica §. VIII.

(p) KEYSLER. cit. loc. p. 187.

quae ex eadem officina prodiit, eundemque characterem habet, & hinc eiusdem monetae valorisque ac ceteras fore non absurde crederetur. Itaque patiamur, plebem etiam in *Marcheta* lasciuiisse. Sed parum castum est de equitatione cogitare. Fateor; numquid vero castiores voces reddere possumus, quam accepimus; aut decere nos dictionem negabimus, quam D. Arnobius se non dedecere censuit. Is enim *Mutinus*, inquit, (q) *cuius immanibus pudendis horrendóque fascino vestras inequitare matronas & auspicabile ducitis &c.* Quis omnia Latinorum exempla in hanc rem producenda congereret? allegauit autem eos, qui congesserunt, celeberrimus Burmannus; (r) aut quis Graecorum ἱππο-πόρνον & infinita alia commemoraret. Nam quae recentiores linguae seruant similia, nimis modo sunt in oribus hominum, & quae morum est peruersitas, etiam ab his, qui primas syllabas vix tentant, exprimuntur.

CAPVT VIII.

Ostenditur, quid sit BVMEDA *in diplomate Lotharii Caesaris.*

Quaestio, quid sit *Bumeda*, non tam similis illi, quae proxime superioris capitis fine proposita est, quam potius eadem est. Ni-

(q) ARNOBIVS Lib IV. p. 81.
(r) ad PETRON. Satyric.

Nihil frequentius inuenitur nominum vnius iuris multitudine ac varietate, praeſertim in Germania, in qua vnam conſuetudinem, ſed quae plures prouincias peruagata eſt, a gentibus illis diuerſis variis etiam appellationibus diſtingui tam peruulgatum nouimus, quam quod vnius aut montis aut ſyluae, ſed cuius tractus late porrigitur, nomen ab accolis cum ipſis locorum interuallis mutetur. Inde ſaepe confuſio, & interpretum irriti labores, qui *quadrigam*, ſimulac in Gallias decucurrit, *petoritum* dici non animaduertunt, & quam in ſolo nomine obſeruare oportebat diſcrepantiam, in rebus ipſis temere quaerunt. Itaque *Bumeda*, quod nemini dubium eſſe puto, pecunia fuit, quam ab hominibus propriis dominus in eorum matrimonium conſenſurus accepit. Et ſic capiendam eſſe credimus vocem in tabulis Lotharii Caeſaris apud Rethmeyerum, (a) quo templum SS. Petri & Pauli Lutterenſe fundat & dotat. Ceteris enim eius priuilegiis addit:

Volumus, vt ſi qua mulier de familia eccleſiae ſeruo noſtro ad adminiſtradium noſtrorum nupſerit, data iuſtitia, quae BVMEDA *dicitur, in perpetuum cum marito iuri noſtro remaneat. Et e conuerſo fiat, ſi qua de familia noſtra eccleſiae ſeruo nupſerit.*

Res ipſa, & *Bumedae* cum *Marcheta* conue-

 nientia

(a) RETHMEYER. Braunſch. Lüneb. Chron. p. 297. ſq.

nientia iacet ante pedes; de nomine tantum quaeritur; neque tamen ego quaesiuissem, nisi virorum doctissimorum Estoris (b) & Wachteri (c) sententias in contrarium scindi, neutrum vero, si quid video, rem acu tetigisse animaduerterim.

Bumeda explicandum est *Brutmeda*, i.e. *Brautmiethe*, si celeb. Estorem audis. Ita coaluisse censet vocem, extrusis aliquot literis, vt solet vulgus voces integras mandere, dimidiamque partem deglutire, dimidiamque reddere. Hoc me pungit, quod nullibi aliàs *Bruthmiethae* mentionem factam esse meminerim; non quod omnium iurium & consuetudinum nomina, quae nonnisi semel obuia sunt, reiicerem; nam si qua in re alia, certe in moribus Germanicis innumera deprehenduntur ἅπαξ λεγόμενα; sed quod non semper fas esset, vocem, quae nullibi occurrit fingere, praesertim si alia commodior haberi possit, quae non tam ex ingenio, quam ex veterum scriniis depromeretur. Et habebimus vtique commodiorem, & ad explicandam sine tam magno literarum motu comparatam, vt mox videbimus. Ceterum huius Estorianae etymologiae fatum fere idem est, quod plurium aliarum, quae ferri possent, &

(c) WACHTER. Glossar. v. Bumeda.

(b) ESTOR. de Ministerialibus p. 130. sq.

& interim acceptari, nec ſuo vitio corruunt, ſed ſi paullo certiores afferuntur, deſeri ſolent.

Certiorem afferre Wachterus voluit, & aliqua de difficultate vocum recentioris aeui, quae ſaepe magis ingenia torquerent, quam antiquiſſimae, praefatus, ab antiquo *Bu*, quod eſt domus, & *mede* ſiue *miethe* deducit, variisque exemplis *Bu* domum eſſe demonſtrat, quibus omnium clariſſimum, & in recentioribus iuribus obuium *Bulüte* i. e. coloni, addere potuiſſet. Sed quid *domus* ad *cenſum nuptialem* faciat, non ſatis intelligo, niſi forte per ambages pompa nuptiali ſponſam *domum* deducas. Querelis de quarundam vocum in diplomatibus & chartis non niſi ſemel obuiarum difficultate, nihil eſt iuſtius. Sed haec difficultas plerumque librariorum vitiis aſſignanda eſt; nullumque horum monumentorum grauius malum cogitari poteſt, quam quod illi, quibus talia deſcribenda damus, reddant plerumque corruptiſſima. Sic oportet interpretis ingenium torqueri, & numquam magis inanes etymologiarum meſſes metuendae ſunt, quam quando agrum, quem colimus, librariorum incuria vel inſcitia reddidit ſabuloſum.

Quam recte illud de diplomate Lothariano, certe quoad vocem *Bumeda* queri liceat, dabitur mox dicendi locus. Nunc ſi vel abſol-

uamus librarium, vocemque nullo vitio vel morbo laborare, concedamus, facerem quidem cum vtroque interprete, Eſtore & Wachtero, quoad vocem *meda*, quod ſit *mede*, vel *miethe*, vt in *Curmede* pluribusque aliis ſimilibus, ſed in capite vocabuli neque *brut*, vel ſponſam, neque *bu*, vel domum, quaererem, ſed *bu* vaccam, quae ſignificatio in variis gentium originis Germanicae linguis ſuperſtes & hoc loco non inopportuna eſt. (d) Nimirum *Bumedam* & *Marchetam* verbis diuerſas re conuenire, vtramque vero cenſum ad redimendam nuptiarum libertatem comparatum fuiſſe, conſentiunt omnes. Atqui praeſtabatur ille quondam *vaccis*. Ita ius Scoticum: (e) *Sciendum eſt, quod ſecundum aſſiſam terrae Scotiae, quaecunque mulier fuerit ſiue nobilis, ſiue ſerua, ſiue mercenaria* MARCHETA *ſua erit vna* IVVENCA -- *Et ſi filia liberi ſit, & non domini villae*, MARCHETA *ſua erit vna* VACCA -- item MARCHETA *filiae Thani vel Ogetharii duae* VACCAE -- *Item marcheta filiae comitis eſt reginae, duodecim* VACCAE. Quare nihil pronius, quam vt *Bumeda* diceremus cenſum vaccis praeſtandum. Fuit etiam, cum exiſtimarem in hoc vaccae cenſu ſymbolicae iurisprudentiae veſtigium ſupereſſe. (f) Nimirum ſi credere fas eſſet, dominis

(d) v. VEREL. Ind. & PEZRON. antiqu. Celt. p. 334.

(e) SKENAEVS in reg. maieſt. Scot. Lib. IV. Cap. XXXI. p. 102.

(f) Diſſ. de Iurisprud. Symbol. German. §. VIII.

nis olim ius deuirginandi ſponſas competiiſſe, credi viciſſim poſſet, cum illud praeſtito cenſu redimeretur, iuuencam, quae pondus ruentis in Venerem tauri ſuſtineret, συμβολικῶς tradi conſueuiſſe. Sed haec nunc repudio, non quod illam foeditatem inter fabellas abiiciam, de cuius veritate in vtramque partem diſputari poſſe ſupra dixi, ſed quod vaccas ordinarium & conſuetum mulctae tributique genus etiam in aliis negotiis veterum more fuiſſe compererim, (g) haud ſecus, ac olim apud Romanos minima ſupremaque mulcta ouibus bouibusque praeſtari conſueuit, donec per legem Ateriam Tarpeiam aeris ſumma ſubſtitueretur. (h)

Quae ſi tibi diſpliceat coniectura, fatebor, eam ne mihi quidem prorſus ſatisfacere, afferamque nouo iactu aliam. *Maede* Saxones olim dixerunt, quas *maegde* virgines nunc appellamus. (i) *Buggan* & *Bugian* variis veterum linguis eſt emere, quod Wachterus oſtendit, (k) quamuis illam dictionem, *ein reicher fugger*, nollem cum eo ab antiquo *buggan* deriuare. Satius eſt, vt paroemiale dicterium a ditiſſimis & fortunarum magnitudine quondam celeberrimis Fuggeris, qui ſaepe prin-

(g) v. Leges Malcolmi II. apud SKEN. Lib. II. cap. VIII. p. 4.

(h) GELLII noct. Attic. Lib. XI. C. I.

(i) WACHTER. in v. Magd.

(k) IDEM v. Fucken.

principum, aliquoties etiam Imperatorum neceſſitatem leuarunt, deriuemus. Vt enim Croeſus & Irus, aliique homines, quos vel amauit fortuna, vel peroſa eſt, ſimilibus ſui nomen dederunt, ſic Fuggeri diuitibus Germanis. Et qui potius ? cum tanta opum celebritate floruerint, vt illae etiam habitae ſint

titulo res digna ſepulcri,

& in eorum epitaphiis aliisque monumentis (l) *diuitiarum inuſitatarum apparatus*, & *fortuna maximarum opum* commemorarentur. Haec ἐν παροδῳ. *Bucgan* & *Bugjan* eſt emere, *Bugmede* foret emtio ſponſae, quo vocabulo non abſurde res, de qua diſputamus, exprimeretur.

Sed ſatis eſt ſomniorum de vnius vocis origine; ſuccedat veritas, quam nobis praeſtat Ius Saxonum prouinciale. (m) *Man ſagt daz alle Wendinnen vri ſint, durch daz ire Kindere nah deme wendiſchen Vatere geboren, des en iſt doch nicht; wand ſie geben ir* BVMETE *irme herren, als dicke als ſie man nemen.* In gloſſa hac explicatur *Bauer miethe*, cenſus ruſticorum, neque Gloſſatoris hoc inuentum eſt, ſed & in antiquiſſimo Codice Berolinenſi legitur *Burmete*, vt in notis obſeruauit, qui accuratam

(l) STENGELII res Auguſtanae p. 261. & 269.

(m) Land-R. Lib. III. art. 73.

tam huius iuris editionem dedit, Illustris Gaertnerus. Itaque Lotharianum BVMEDA, vel si malis BVRMEDA, nec ad ἅπαξ λεγόμενα, nec ad valde difficilia vel obscura referemus, nec a sponsa, vel domo, vel vacca, vel ex alio quocunque fonte repetemus, sed a *Bur* rusticus, commodo sensu, qui per ea, quae diximus, nihil dubii habebit, vel certe parum.

CAPVT IX.

De iureiurando viduae, quo quantitatem Morgengabae a marito sibi datae probat, & cur dicatur NASTAID *in Lege Alamann. Tit. LVI. §. II.*

Symbolis, si quo vnquam negotio, in iureiurando praesertim opus esse, omnes omnium saeculorum gentes crediderunt, quo signis externis instantem quasi ac praesentem Nemesin prouocare iuraturi horrescerent. Itaque nihil tam sanctum est, per quod a quibusdam non fuerit iuratum, & vt sunt ingenia hominum saepe in contrarium circumacta, iterum nihil tam vile, quod non in hoc serio negotio tanquam sacramenti vinculum & pignus versatum sit. Germanicis gentibus, vt in vulgus notum est, haud contemnendus in capillis honor positus esse videbatur; neque igitur mirum, si crinibus tactis vel aliquanto protractis iurauerint. Certe de Frisionibus

ſionibus ſuis Sibrandus Siccama illam iurisiurandi figuram commemorat, (a) & tam ipſorum iurium ac legum, quam paroemiarum argumentis, quod potentiſſimum teſtimonii genus eſt, de rebus communi gentium conſenſu receptis, tunc demum Friſiis plenam fidem habitam eſſe demonſtrat, quando iurauerant capillis tactis. Crines, indice D. Paulo, praeſertim feminarum honor habentur,(b) & ita viſum eſſe credo gentibus, quae ritu praeſertim Alamannis vſitato mulieres ad capillos ſuos iurare voluerunt. Ita vocem NASTAID in Alamannica Lege (c) obuiam interpretor. Nam & nunc torti mulierum crines & ligulae dicuntur noſtratibus *Neſtel*. Ita vero de vocis aliarum coniecturis valde detortae genuina origine & ſignificatione diſputaui ante binos fere annos. (d) Nunc quando Wachterus, poſtquam ea ſcripſeramus, non multum diſſimilem a noſtra coniecturam adtulit, & ad hunc locum praeter ea, quae diximus aliàs, commode nonnulla diſputari poſſint, demus huius iurisiurandi capillaris explicationem repetitae praelectionis.

Apud Alamannos, ſi qua vidua Morgengabam

(a) SIBRAND. SICCAMA ad Leges Friſion. Tit. XII. §. 2.

(b) 1. Cor. XI.

(c) Lex Alamann. Tit. LVI. §. 2.

(d) in Diſſ. de Iurisprud. Symbol. Germ. §. XXV.

gabam a marito datam vel promiſſam peteret, & quantum auri, vel argenti, vel mancipiorum armentorumque ſibi donatum fuiſſet, probare iuberetur, illa impoſita pectori manu de quantitate Morgengabae iurabat, & *hoc dicunt Alamanni* NASTAID. Eo redeunt Legis ſententia, verbaque poſtrema,(e) quae nihil habent obſcuri, praeter vnicam vocem *Naſtaid*, varie, ſed non aeque feliciter, tentatam, vt mox videbimus, quando cetera veteris & recentioris aeui iura, quae prodeſſe de hac iurisiurandi figura diſquirentibus poſſunt, recenſuerimus. Sic enim eiusdem populi ius prouinciale (f) illam iurisiurandi de Morgengaba ſolemnitatem exigit, vt dextram mammam dextramque crinium ſpiram tangat, *uf ir zeſuuen bruſt*, *und uf ir zeſuuen zopfes*. His adhuc recentior lex iudiciaria Rothwilenſis, (g) quicquid mulier cum bonis ad Morgengabam ſpectantibus ageret, ſiue renunciando, ſiue vendendo, ſiue tradendo, id omne fieri voluit *mit Hand und mit Mund*, *mit* ZOPFF *und mit Bruſt*. (h) Non multum abludit iuris Bauarici ſanctio, quam ex Codice meo membranaceo deſcribo: *Wirt eine Frawe angeſprochen vmb ir Morgengab*, *vnd di*

(e) Lex Alam. cit. loc.

(f) Ius prouinciale Alam. Cap. XXI. n. 2. & 8.

(g) Rothweil. Hoff-Ger. Ordn. P. XI. Tit. X.

(h) conf. WEHNERI Obſerv. Practic. p. 361.

di ir gewer erzeugt hat oder erzeugen mag, di ſoll darnach ir gerechte hant auf ir pruſt legen, vnd iſt ſi ein iunkfrawe geweſen, ſo ſoll ſi ſwern, daz ir ir wirt di Morgengab geben hab, vmb ir hochſten ere, di ir got ie geben hab, damit hat ſi ir margengab beſtætt, alz recht iſt. Plane ius Auſtriacum (i) vetat, ne de morgengaba mulieres aliter, quam tactis mammis, iurare vellent: *und ſoll auch vor Gericht nicht ſchweren, noch kein Aydt thun, denn auf Ihren Prüſten mit ihren zweyen Fingern.* Satis hoc teſtimoniorum eſt, quae de tangendo pectore conſpirant omnia, de crinibus tantum Sueuica, certe ius prouinciale, iudiciique Rothwilenſis ordinatio, quae facile ſuſpicari nos patiuntur, etiam antiquo ritu feminas Alamannicas tactis capillis iurauiſſe, adeoque Naſtaid, quamuis in Latinis Legum verbis nihil de crinibus exprimatur, idem eſſe, ac *Neſtel-Eydt*, iusiurandum tractis ad mammam crinium ſpiris praeſtandum, vel vt recentior lex enunciat, *mit Zopf und mit Bruſt.*

Ita facile carebimus coniectura Cangii, quae *Naechſt-Eyd* ſubſtituit, quod nempe pectus tangatur, quo cordi nihil eſſet *proximius.* Quod ſi valeret, eodem iure Clericorum iusiurandum diceretur *Naſtaid*, ſiquidem etiam hi manu pectori impoſita iurare conſueuerunt.

(i) LVDEWIG. Reliqu. Tom. IV. p. 14. ſq.

runt. Satis vero verbis Legum exprimitur, in vnica Morgengabae cauſſa nomen hoc iurisiurandi obtinuiſſe, & ſine dubio, quod olim de hac vna capillorum ſollemnitas obſeruata ſit. Vt taceam, cordis propinquitatem e longinquo valde peti, & perquam obſcurum eſſe, cur iccirco, quod cordi pectus ſit proximum, etiam ipſum iusiurandum *proximum* dici debeat. Difficilior adhuc eſt Schilteri philoſophia, (k) nempe legendum videri *Nachſchaid*, vt plane inuenit in quibusdam codicibus Heroldus; neque hanc vocem de iureiurando accipiendam eſſe, ſed de Morgengaba ipſa, quae *poſt* contractas nuptias a marito daretur, & Argentorati nomen acceperit *Nachwidden*, vt ibidem *Vorwidden* appellatur, quicquid ante nuptias datum vel pactis promiſſum eſt. Quem vero non traheret in contrarium in Lege, quae de iureiurando praecipit, haud diffitendum vocabulum *aidt?* Illud enim, ni fallor, totius nominis baſis eſt, & vt interpretationum conſtruendarum fundamentum habeatur, ſine dubio res flagitat. Praeterea non exiguo diſtant interuallo *Nachwidden* & *Nachſchait*, non nominis tantum ſono, ſed & ipſo rei momento, ſi vel a te impetres, vt *Nachſchaid* inter-

(k) SCHILTER. ad Leg. NIGSHOVEN p. 678. Alem. cit. loc. apui KO-

interpreteris Morgengabam. Laxior enim ambitus eſt vocis *Nachwidden*, quam Morgengabae, & vt illa, quidquid a marito poſt nuptias in vxorem proficiſcitur, comprehendit, ita neminem futurum eſſe puto, qui ex antiqui iuris ſententia referret omne, quod poſt nuptias datur, ad Morgengabam. Itaque tam procul recederem ab interpretatione Legis Alemannicae Schilteriana, quam a ſimili eiusdem viri interpretatione Legis cuiusdam Longobardicae diuergerem. Iubet rex Rotharis,(l) vt ſi quis libertus plene manumiſſus res proprias viuus alicui *andigauerit* & *arrigauerit*, teneat is, qui donatas accepit, optimo iure. Quanti & quam parum neceſſarii tumultus de his duabus vocibus excitati ſint, apud Cangium (m) legi poteſt; & bene eſt, quod eos ad difficiles nugas ipſe Schilterus reiecerit. Nollem tamen is iterum ius ſuum Argentoratenſe perquam inopportuna applicatione huc traxiſſet, difficulter nobis perſuaſurus, *vormiddem* eſſe *andigare*, & *nachwidden*, *arrigare*. Nam vnam & ſimplicem traditionem iudicialem Lex illa Longobardorum exigit, & ſi quid video, litera N. excidit ex vtraque voce. Quod ſi legeris *andingare*, & *arringare*, habebis id ipſum, quod quaerimus, *tradere in iudicio*. Nam quod *Ding* &

(l) Lex. Longobard. Lib. II. tit. XIV.

(m) CANG. Gloſſar. v. Andecabeo & andigaer.

& *Ring* & Italorum *Aringo* iudicium dicatur, ſuperfluum eſſet demonſtrare, cum ſit in vulgus notum, & a nobis etiam dictum aliàs. (n)

Quare Alamannorum *Naſtaid*, vt eo redeamus, vnde tractationem orſi ſumus, cereris, quae tentatae ſunt, viis ſalebrarum difficultate obſtructis, inuoluamus iterum in noſtram vocem *Neſtel*, quam Wachtero (o) quoque placuiſſe video, ſed interpretatione nonnihil a noſtra diſcrepante. Nos enim ligulam, qua crines, ille nodum, quo pectorale conſtringunt feminae, intelleximus; vtrum rectius ſit, nollem in cauſſa propria iudex ſedere, moueor tamen haud parum Alamannica formula, *mit Zopff und mit Bruſt*. De cauſſis vero ſymboli, & quare mulieres pectus crinesque tangentes iurare iuſſae ſint, niſi a muliebrium capillorum honore rem repetas, & quod ad pectus ſpectat, coniecturas Gundlingianas (p) ſequaris, nihil, quod adderem, habeo melius. Quod autem Gundlingius de appenſis in collo mulierum euangeliis, quae iurantes tetigerint, in medium attulit, illud nec ſequerer prorſus, nec refellerem. De his certe temporibus verum eſſe nequit, quibus euangeliorum lectio feminis pariter maribusque multis negata erat; adeoque in monu-

 men-

(n) In Diſſert. de iudic. privat. veter. Germanor. §. II.

(o) WACHTER. Gloſſ. v. Naſtaid.

(p) GVNDLINGIANA P. IV. n. 2.

mentis ſepulcralibus, quae mulieres appenſo in pectore libello ſiſtunt, crediderim potius, eſſe haec deuotionis enchiridia, vel parua volumina, quibus preces & compoſita in ſtatos dies horasque ſuſpiria continebantur. Nam ipſorum Euangeliorum adeo rarus vſus inter Laicos erat, vt etiam in iudiciis, in quibus tamen tactis voluminibus ſacris iurare oportebat, non ſemper integer eorum Codex aſſeruatus ſit. Habeo in ſupellectile mea libraria inter alios veterum iurium codices, binos, quos olim in quodam tribunali aſſeruatos & tractatos fuiſſe, ex variis indiciis oſtendere poſſem. In his duobus particula vel locus breuis ex euangelio deſcriptus legitur, velut ille Lucae: *In illo tempore loquente Iheſu ad turbas extollens vocem quedam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quae ſuxiſti. At ille dixit: Quinimo, Beati, qui audiunt verbum dei & cuſtodiunt illud.* Appicta eſt variegatis coloribus quadrati figura, quam aurea crux ſecat, & cui ſine dubio iuraturi digitos impoſuerunt. Ex hoc tam parco & infrequente vſu euangeliorum inter Laicos, qui ne quidem vniuerſum eorum codicem in iudiciis adſeruari paſſus eſt, ſed particulam tantum inde decerptam *libris ſtatutorum* inſcribi, & a iurantibus tangi permiſit, facile poteſt opinio naſci, tenebricoſis illis temporibus neque in collo geſtata fuiſſe euangelia, nec a feminis iurantibus appre-

apprehenſa, ſed omnem illam pectoris tactionem non aliunde, quam ex geſtibus affectu vehementiore expreſſis, deriuandam eſſe, vt ipſa natura duce, ſi quid ex animi ſententia dicere volumus, pectus illud fidei ſacrarium manu pulſamus, quibus omnibus accedit muliebris ornamenti, nempe capillorum adprehenſio.

Haec, niſi fallor, iurisiurandi *Naſtaid* externum ritum, eademque nominis originem demonſtrant. Formula iure Alamannorum & breuis erat & perſpicua: *Quod maritus meus mihi dedit in poteſtate, & ego poſſidere debeo.* Prolixius aliquanto Bauari; & notatu dignum eſt, quod Morgengabam in praemium ereptae virginitatis ſibi datam mulier aperte commemorabat. Hoc enim palam faciunt verba, quae ſupra deſcripſimus, *daz ir ir wirt die Morgengab geben hab vm ir hochſten ere, di ir got ie geben hab.* Quis autem honor ſexus eminentior cogitari poteſt virginitate. Quo teſtimonio non abſurde contra illos vti poſſumus, qui datam pro primis amplexibus virginis morgengabam negant, & apprehenſionem poſſeſſionis tori, vel neſcio quas alias cauſſas conquirunt. Addo huic nouum argumentum, apud Armoricenſes morgengabam dici conſueuiſſe *Enep-*

guerch quod Lobinaeus (q) interpretatur *Enep* contra, & *Guerch* virginitas, i. e. oblatum pro virginitate pretium.

CAPVT X.

Ad Legis Salicae Tit. XXXIII. §. I. eiusque vocem Malbergicam QVINTVO.

Tam curiosa fuit antiquitatum nostrarum perscrutatio, vt nec ad quarundam rerum tenuitatem descendisse, nec ad contumeliarum, quibus se Franci aliaeque originis Germanicae gentes incessere consueuerunt, se demisisse indecorum existimauerit. Quare, cum iniuriarum illa spicula, quae multum rubiginis aetate contraxerunt, praestantissimos quoque viros Cangium, Schilterum, Eccardum, Heineccium, Wachterum, vt alios taceam, polire animaduerterim, quis nobis longe humiliores operas professis indignam, quae quaestiunculis ceteris adderetur, materiam exprobrauerit? Antiquissimae Legis Salicae Titulo XXXIII. de conuitiis agitur, & contumeliarum veluti classes disponuntur, quod ex mulctarum diuersitate palam est. Ast fere nulla grauior duriusque coërcenda Francis videbatur, quam si quis alteri mendacio forsan obiecerit, quod relicta non bene

(q) LOBINEAV Gloss. fair v. Enepguerch dans l'histoire de Bretagne T. II. p. 1792.

bene parmula fugerit ex acie. (a) Cui opprobrio, nisi plane sententia ipsa, nam de hac postea prolixe disputabimus, certe quoad mulctae quantitatem, par est aliud, de quo statim ab initio cauetur

Si quis alterum cinnitum vocaret, MALB. QVINTVO DC. *den. qui faciunt solid. XV. culpabilis iudicetur.*

In hoc capite permolestum est, quod nec Latina legis verba satis intelligamus, nec Germanicam glossam. Ceteris enim Malbergicis vocibus quantocunque vitio corruptis Lex ipsa succurrit, & quid glossator dixisse voluerit, ex legislatore cognoscimus. Hic vero neque quid sit *cinnitus*, neque vnde *Quintuo* descendat dicere tutum est, omnibusque interpretationibus, quae non paucae sunt ad hoc caput, excussis habebimus, quod fugiamus, quod sequeremur, haud ita commode inueniemus. In Eccardi coniecturis, tametsi forte ingenium laudes, praestationem desiderabis. Nam & *Cinnitus* mutat in *cinaedum* & *Quintuo* in *Quinvot*, vt sit atrox illa contumelia, qua quis pathicus, vel vt est in glossa secundum Eccardum restituta, *cunnus muliebris* appellatur. In quibus, vt alia taceam, vel hoc vnum exemplo graue videtur, quod vtrumque nodum & Latinum & Ger-

(a) L. Salic. Tit. XXXIII. §. vlt.

Germanicum ſecuerit. Aliàs enim ferri poteſt, ſi tantum Gloſſae Malbergicae corrigantur, cum ſaepe ſint, vt ſupra dixi, vitioſiſſimae, ipſaque earum vel perplexitate, vel a Latino textu diſcrepantia, ne nihil agatur, ad duriora remedia cogamur inuiti. Et tunc criticum cultrum in verbis Latinis acuimus tamquam in cote, certum ſubituri periculum, ſi Gloſſarum vel interpretationem vel correctionem neglectis Legum verbis, aut plane iisdem vna cum Gloſſa mutatis adgrediamur. Habet tamen Eccardi factum in hoc capite ſuam defenſionem, cum de ipſa Latina voce *cinnitus* neque quid ſibi velit, nec vnde domo, vel ex qua lingua ſit, ſatis pateat; multisque modis, ſi quid iudico, praeſtant eius coniecturae ceteris omnibus, quarum aliquae nec ingenio commendabiles ſunt, nec veriſimilitudine perſuadent, vt vnusquisque ex earum recenſione apud eundem Eccardum (b) & Schilterum (c) cognoſcet. Noſtras multo certiora daturas polliceri non poſſumus, cum in hac verborum aut corruptione aut obſcuritate ſine rectore fluctuent incertae; dabitur tamen occaſio nonnulla forſan haud iniucunde diſputandi.

Vetat lex, ne quis *cinnitus* appelletur, quod haud multo melius intelliges, quam ſi cum

(b) ECCARD. ad Leg. Salic. Tit. XXXIII. §. 1.

(c) SCHILTERI Gloſſ. p. 181

cum aliis codicibus legas *cenitum*, vel *cynitum*. Quibus *cenitus* placet, quod Bignonio placuisse videmus & Cangio, illis vt *coenum* & lutum, quod intempestiue hic coaceruant, aufferre vellent, suasor essem. Non quasi nesciam, coenum & sterquilinii sordes multarum gentium linguis in contumeliam verti, & inter tritissimas iniurias spargi. Quem enim latet illud Catulli (d)

O LVTVM & *lupanar!*
Aut si perditius potest quid esse;

& similes dicteriorum sordes, quae non in comoediis tantum, & lenonum aut mancipiorum, sed in ipsius Ciceronis ore deprehenduntur, qui aliquoties de inimicis suis vsus est: *o tenebrae, o lutum, o sordes!* (d) De Graecis nihil dicam, quam saepe suum Κάθαρμα, μέγα κάθαρμα, geminauerint, postquam illud pluribus locis demonstrauit vir doctus, qui frigidas Hieroclis cuiusdam facetias interpretatus est. (f) Sic Danos veteres hominem nauci *Endeme* i. e. sterquilinium, & *Orbese* vel quisquilias vocasse Stephanius auctor est; (g) idemque Francis vsuueniisse ex iniuriosa voce *concacatus*, quae mox in eodem titulo

 legi-

(d) CATVLL. Epigr. XXXIX.
(e) CICERO in L. Pison.
(f) V. HIEROCL. facet. edit. Needham. p. 467.
(g) STEPHAN. ad Sax. Grammat. Lib. V. p. 115.

legitur manifeſtum eſt. Aſt haec ipſa vocis *concacati* repetitio in §. III. prodit, *cinnitum* vel *cenitum* ex coeno non eruendum eſſe, ſed diuerſiſſimi ſenſus contumelias fuiſſe, vt valde etiam mulctarum quantitate diſcrepant. Hanc enim *cimiti* iniuriam XV. ſolidis, illam *concacati* tribus tantum Legislatores coërcent, adeoque hac via coenoſa vix ad *cimiti* ſignificationem commode perueniemus, vt taceamus, neſciri, quid ita interpretantes faceremus gloſſae Malbergicae *Quintuo*. Quapropter bene eſt, quod Cangio aliisque *cinitum* cum *coenoſo* confundentibus contradixerint Schilterus, (h) & qui Cangianos theſauros amplificarunt, doctiſſimi Benedictini. (i)

Pithoeus & Lindenbrogius, vt quid *cenitus* ſit interpretentur, Gloſſam laudant, quae eum dicit, *qui oculum rutum habet*, vel vt addunt ipſi ex Gallica lingua *vn borgne*. Sed profecto non praeſtabit nobis ille cocles vel luſcus, vt multo, quam antea cernamus acutius. Quid enim? corporis vitium obiicere grauiorem iniuriam dicemus, quam vitiorum animi ſcelerumque exprobrationem? Et eſt tamen *cinnitus* ex ſententia legis Salicae inter grauiſſimas contumelias, & mulcta longe, quam quaedam ex ceteris, grauiore luitur; Aut quid in vni-

(h) SCHILTER. Gloſſ. oit, loc. (i) ad v. Cenitus.

vniuerſum de auctoris huius gloſſae vel fide dicemus vel peritia? Nam & Latinum ſermonem, & Graecum excutias, & Francicum; in nullo neque quomodo *oculum* huic *cinito* vel inſeras, vel demas inuenies, vt fere in eam opinionem deſcendam, hanc Gloſſam, vndecunque ſit, vel imperitiſſime compoſitam, vel corrupte ſcriptam eſſe. Quod ſi ea vocem *cinaedus* interpretaretur, ſcirem quid faciendum eſſet. Nam vnica litera deleta legerem, *qui culum rutum habet.* Non opus eſt, vt hoc prolixe interpreter. Nimium eſt, quod intelligitur. Neque enim foedas illas depilationes & παρατιλμὰς ſaluo frontis pudore deſcribere liceret. Adeat talia ſciendi cupidus Martialem. (k)

Aliam, ſed non multo plus lucis obſcurae voci daturam ex vetuſtiſſimo codice Eſtenſi Muratorius (l) prodidit Gloſſam: *Cenitus eſt Arga.* Nam quamuis ex Paulo Diacono conſtet, *Argam* eſſe hominem inutilem vel inertem, vel vt intepretantur alii, ob adulteram vxorem famoſum, & facile viris doctis adſentiar, qui Graecum ἀεργὸν & Germanicum *arg* ab illa contumelia non multum abludere cenſent, ſupererit tamen dubium, qua tandem illud via conſequamur in ipſo

(k) MARTIAL. Lib. II. ep. 62. & Lib. IX. ep. 58.

(l) MVRATOR. not. ad Rotharis Leges Script. Ital. Tom. I. P. II. p. 47.

cinniti vocabulo. Neque enim ſic conſtat, ex qua lingua ſit, & ad quas origines redire nos oporteat, vt in eius ſignificatione hominem nihili vel inertem inueniamus. Vel vt paucis dicamus, quid ſit *cinnitus* ſciremus, vnde ſit, non aeque ; neutrum vero ad perfectam legis interpretationem negligere fas eſt. Venit mihi aliquando in mentem, quod ſit ab antiqua voce *Nid*, quae inter gentes ſeptentrionales omnium iniuriarum grauiſſima fuit. (m) Quem enim ferociſſime inſectabantur, eum *Nithing* vocabant, & hoc tantae infamiae fuit, *vt Angli nihil contumelioſius aut vilius aeſtimarent, quam huiuscemodi ignominioſo vocabulo notari* teſte Matthaeo Pariſienſi. (n) Sic *Nithingsuerck* ſceleſtiſſimorum facinorum nomen eſt, & in antiquo Codice Legum Islandicarum perduellio, & ſocii iudicisque ius caſte reddentis caedes, & omnis inſidioſa vel obtruncatio alterius vel mutilatio referuntur in hunc cenſum. Cumque Franci vocibus adſpirationem praefigere ſolerent, vt ex infinitis hominum nominibus, *Chlodouaeus*, *Clotarius* &c. palam eſt, idemque interdum praefixa plane ſyllaba *chi* vel *che* facerent, (vt ſupra vidimus ex *Ran* & *Ren* rapina, redditum eſſe Theotiſcum *Chere-*

(m) THOM. BARTHOLIN. de cauſſis contemtae Danis gentilib. mortis. p. 102. ſeqq.

(n) v. eund. BARTHOL. p. 101.

Chereno, sic certe non sine exemplo foret ex *nit*, factum esse credere *cnit* & *cinit*, & sic omnium probrosissimam contumeliam detegeremus. Moueor adhuc, quod in barbara Latinitate *acunydare*, *acinīdare* & *aquinidare* sit idem, ac prouocare, vel per *diffidationem* denunciare duellum. (o) Non habuit Cangius, vnde vocis originem deduceret, & doctissimi Frischii coniectura, quod idem sit ac s'ACCOINTER *de quelqu'un*, vel symbolo assumto se stare a partibus alicuius profiteri, ego quidem ad *diffidationem*, quae sine dubio vera vocis est significatio, referre non possum. Ast Thom. Bartholinus (p) notauit, consuetam *prouocantium* fuisse conditionem sub infamia *Niding*, & qui prouocatus se non stiterit, in eius opprobrium erectam esse perticam *nidstang*. Sic haberemus tutiore via illud *acunydare* vel diffidare. Num vox *cinitus* ac *cenitus*, vt dixi, veniant ex eadem radice *Nid*, lectoris iudicium esto.

Quod si a meo non discrepat, amplius nobis erit deliberandum, & feretur, vt spero, coniecturarum varietas ea quidem indulgentia, qua solemus alea moderate ludentem spectare. *Cinnus* quid sit in crinibus, & *cincinnus*, & quam saepe dicantur delicatuli homines

(o) CANG. in v. Acunydare.

(p) cit. loc.

nes ἐυπλόκαμοι *cincinnati*; non opus eſt in tanta teſtimoniorum frequentia demonſtrare. Sic *cinnitum*, vel ſi familiari veteribus librariis compendio per geminationem ſcriptum fuiſſe dicamus, *CINnitum* i. e. *cincinnitum* eundem eſſe ac *cincinnatum* credere patitur infuſcata barbarie Latinitas, quae ſibi multo plus in aliis, quam in hoc vocabulo, permiſit; quid credere ſuadeat, poſtea videbimus. Itaque *cinnitus* eſſet, qui mollis & effoeminatus crinibus mulierum ritu tortis incedit. Huic reſpondet Malbergica vox *Quintuo*, ſi mitiſſima correctione vnicam in fine liceat addere literam, vt legamus *Quintuof*. Nam *Quin* mulierem eſſe, quis neſcit? *Tuof* autem ſpira tortorum crinium eſt, velut & nunc apud Gallos dicitur *touſe de cheveux*, apud Anglos *tuft*, apud nos *Zopf*. Itaque quem quis appellat mollitiei muliebris cincinnum, quin contumelioſiſſime appellet, per ea, quae mox dicemus, dubii parum habebit. Nunc illud tantum addere liceat, ne noſtro quidem vſu hanc iniuriae figuram prorſus exoleuiſſe, quin adhuc eadem ſententia, quamquam mutatis aliquanto vocabulis, ſuperſit in voce *neſtbökel*, quo dicterio effeminatos homines, & quos blanda matrum iuſtoque indulgentior educatio molliores reddit, inceſſere conſueuimus. Eſt enim a *Neſt* & *Neſtel*, quod ligu-

gulam muliebrem, & *böckel*, quod aeque ac *bocke* fasciculum significat.

Nulla vero res magis turpe vitiisque mollibus fractum viuendi genus ex plurium populorum sententia demonstrat, quam cultus & ornatus in corpore masculo muliebris, & calamistratorum crinium delicata compositio. Sic Suidas (q) Massilienſium mollitiem, quae plane paroemiis πλεύσαις εἰς Μασσαλίην & ἐκ Μασσαλίας ἥκεις, infamata quondam esse legitur, descripturus hanc rationem reddit: παρόσον ἐνείνυς φασι θηλύτερον σολίζεσθαι, μεμυρισμένυς, ΚΑΙ ΤΑΣ ΤΡΙΧΑΣ ΑΝΑΔΟΥΜΕΝΟΥΣ καὶ διὰ ταύτην τὴν μαλακίαν ἀχημονεῖν. *Massilienſes enim ferunt muliebrem in morem ueſtiri, delibutos vnguentis*, & COLLIGATIS CAPILLIS, *eaque mollitie turpiter ſe gerere.* Illas vero pueriles delicias, in sexus sui dedecus effeminatas, frequentissime a veteribus dici *calamistratos* & *capillatos*, tanta testimoniorum multitudine patet, vt haereas, quod ex turba primum decerpere commodissimum esset. Multa inuenies in hanc rem dicta a viris doctis ad Petronium. (r) Itaque cum illi muliebris patientiae pueri non solum antiquo inter vtrumque sexum ornatu comerentur, verum

(q) SVIDAS in ἐκ μασσαλίας, conf. AEGID. MENAGII amoenitates Iuris Cap. III.

(r) PETRON. Satyric. edit. Burm. p. 94. 105. 107. & 119.

rum etiam *calamistrati* communiter audirent, quid mirum, voces *cinnitus* & *Quintuof* a Francis, postquam in terras illo Romanorum vitio infectas penetrauerant, inter iniurias perquam atroces habitas esse.

Admonet me harum rerum disputatio veteris epigrammatis graeci, Stratonis, quod ex Vffenbachiano codice non ita pridem primus ediditvir doctissimus Io. Christianus Wolffius in notis ad fragmenta Sapphus. (s) Strato luxuriosum hominem reprehendit, qui cum in conuiuiis pueros adhiberet venustissimos pocillatores, ad conuiuarum tamen in eos lasciuiam excandescebat

Ἢ μὴ ζυλοτύπει ὀθλοις ἐπὶ παισὶν ἑταίρης,
Ἢ μὴ θηλυπρεπεῖς οἰνοχόους παέχε.

Ita legitur in Vffenbachiano codice, sed opus non est vt moneamus, θηλυπρεπεῖς ferri non posse. Doctissimus Wolffius restituit θηλυμελεῖς, i. e. pueros molliter & muliebri voce cantantes. Neque in dubium vocari potest, olim pocillatores, de quibus epigramma loquitur, cum pocula praeberent cecinisse. Nam & Trimalchionis illius luxurioſi tota familia cantabat, & conuiua eius queritur, quod a puero, cum potionem posceret, acido cantico

(s) WOLFF. ad Sapphus fragmenta p. 246.

cantico exceptus sit. (t) Itaque si θηλυμιλεῖς in ipso Codice legeretur, commodam haberet interpretationem. Nunc quando θηλυπρεσσεῖς legi nouimus, putauerim, minore literarum motu & forte sententia nisi magis apposita, certe Wolffiana nihilo deteriore rescribi posse θηλυπρεπεῖς. Quod enim conuenientius pocillatorum nomen esset, in quos aestuabant excusati Stratonis epigrammate conuiuae, quam οἰνοχόοι θηλυπρεπεῖς, formae muliebris, vel vt Seneca loquitur (u) *in mulierculam ex viro versi*, vel vt *femina comti* (x) *lasciuae more puellae* (y) & in quibus

falleret hospites
Discrimen obscurum solutis
Crinibus ambiguoque vultu. (z)

His talibus motus mallem θηλυπρεπεῖς, rederemque Stratonis verba

Aut excandescere noli de sodalibus seruulorum caussa,
Aut noli adhibere pocillatores muliebri specie praestantes.

Sed vt in viam redeamus, puerorum pathicorum capilli muliebrem in modum composi-

(t) PETRON. Satyric. cap. 31. p. 121.
(u) SENECA epist. LXVI.
(y) IDEM Heroidum IV. v. 75.
(z) HORAT. Lib. II. od. V. 22.

positi contumeliae *cinniti* & *Quintuof* nomen dederunt. Neque enim, quod adhuc monitu necessarium est, fluitantes tantum gerebant capillos, sed aliqui etiam feminarum ritu tortas. Sic Martialis (a) illius pueri, quem vellet, formam & ornatum descripturus, hoc ceteris speciei lenociniis inserit

mollesque flagellent
Colla comae; TORTAS *non amo, Flacce,* COMAS.

Quid autem bellicosae nationi Francorum contumeliosius videri potuit, quam eiusmodi mollitiei exprobratio, praesertim cum ita comparata esset, vt etiam de corporis infamia suspicionem excitaret.

Sed obstare forsan huic coniecturae nostrae possent *crinibus in nodum tortis Sicambri*, (b) & notissima Francorum consuetudo, qua capillos alere gentis honos & insigne ducebatur, de qua viri docti (c) toties & tam prolixe dixerunt, vt quicquid adderemus, superfluum foret. Numquid enim, si Franci primum omnes, postea nobiles tantum, & praesertim reges capillos aluerunt, & in eis gens

(a) MARTIAL. Lib. VII. epigr. 47.

(b) IDEM Lib. Spectacul. epigr. III.

(c) v. ad TACITVM de moribus Germ. c. 35 CANG. v. Crinitus. CHIFFLET. Anastasis Childerici p. 104. seqq.

gens honorem ſuum, nobiles autem & reges ſignum, quo ſepararentur a plebe, conſtituerunt, numquid, inquam, torquebimus crinium nomen in contrarium, & quod dignitatis indicium erat, contumeliam & reprehenſionem faciemus? Sed bene eſt, quod nemo facile cum *cinnito* confuderit *crinitum*, aut capillos alere, idem eſſe putauerit, ac muliebriter ornare. Criniti erant Franci, & vt Senecae verbis (d) in hanc rem vtar, *crines ſine vllo artifice formoſi quatiebant, non aliter quam iubam generoſa animalia.* Nam aperte teſtatur AGATHIAS, (e) eos ab effeminata capillorum compoſitione diligenter abſtinuiſſe. *Οὐ μὴν ὥσπερ οἱ τῶν τούρκων τε καὶ βαρβάρων ἀπέκτητοι καὶ αὐχμηροὶ καὶ ῥυπῶντες, καὶ ἐνέρσει ἀπρεπῶς ἀναπεπλεγμένοι κ. τ. λ. Neque vero quemadmodum Turcis & Barbaris impexa ins & ſquallida ſordidaque eſt coma, vel complicatione indecenter cirrata &c.* Si genuinae ſunt Francicorum capitum icunculae, quas in antiquitatibus Neomagenſibus Ioannes Smetius exhibuit, (f) intelligemus quidem, quid ſint Sicambrorum Rhenique nodi, quos veteres commemorant. Sed vt eos a ſpiris muliebribus prolixe propendentibus longiſſime diſtare ſentiamus, ſufficere poteſt mo-

(d) SENECA nat. quaeſt. Lib. I. cap. XVII.

(e) AGATH. de rebus Iuſtinian. Lib. I. pag. 14.

(f) SMETII antiqu. Neomag. p. 70.

numenta mulierum Francicarum, quae Montefalconius edidit, (g) cum Smetianis contuliſſe. Quapropter cum ita *cimitus* & *Quintuof* conſpirent, & praeter vnius literae adiectionem nihil omnino mutatum ſit in ſcriptura codicum, & pathici cinaedique cirrorum ac cincinnorum muliebri compoſitione ſe prodiderint, Franci vero capillorum ceteroquin ſtudioſi, ab illa tamen, quae feminis conuenit, delicata compoſitione perquam abhorruerint, adeoque talis contumelia multum atrocitatis habere viſa ſit, quidni ſperemus etiam eos, qui talibus coniecturis annuere detrectarent, indulgenter tamen nictaturos eſſe.

Mactus hac ſpe non ambigo, quin tuam, Lector, patientiam noua tentare liceat hariolatione. *Theow* & *Thow* Francis & Anglo-Saxonibus ſeruus eſt (h), vt ancillam dici *Thiwa* iam ſupra notauimus. *Quin*, quod fere repetere taedet, eſt *mulier*. Itaque *Quintuo*, mancipium vxoris, homo mulieroſus, γυναικοκρατούμενος, aut ſi cum marmoribus antiquis veris vel fictis loqui mauis, *maritus obſequentiſſimus*. (i) Quod ne leue putes, & non ſatis dignum primo inter iniurias lo-

(g) MONTFAVCON monumens de la Monarch. Franç. T. I. planche IX. & XVII.

(h) ECCARD. ad Legem Salicam p. 29. SCHILTERI Gloſſar. p. 281.

(i) HENEL. ot. Wratislauienſis cap. XLVII.

loco probrum, meminiſſe iuuat, cum eo fere ſemper coniunctam eſſe patientiae, qua quis matrimonium ſuum contemnit, thalamique contaminationi non iraſcitur, reprehenſionem. *Cinitus* & *Cenitus* quin ad eandem ſignificationem reuocari poſſit, non ambigemus, ſi *Quena* veteribus Francis etiam *Chena* dictam eſſe meminerimus, vt ſane dicitur apud Otfridum. (k) Quemadmodum vero a voce *mulier* factus eſt *mulieroſus*, ſic a *Chene* ſimiliter *Cenitus*, eodem iure, quo ſexcentis aliis ex lingua Germanica vocabulis laciniam addi nouimus in fine Latinam. Vt haec talia diſputem, non plane contemnendo moueor argumento. Nam ex Codicis Eſtenſis vetuſtiſſimi Gloſſa Muratorius, vt ſupra dictum eſt, docuit *Cenitum* eſſe *Argam*; Eſt autem *arga*, ſecundum Papiae aliorumque interpretationes *cucurbita*. (i) Sic *cenitus* eſt *cucurbita*; & quis ille alius, quam vxoris adulteriis famoſus, & cui ſurdo ingeris illud Martialis: (m)

Vxor moecha tibi eſt, hoc ad te pertinet,
Ole!

Ne autem *vxorii* reprehenſionem ſolis forte Romanis vſitatam, ad ceteras gentes haud penetraſſe, cenſeamus, Islandi nos admonent.

(k) v. SCHILTER Gloſſ. v. Chenun.
(l) v. Benedictinos ad CANGIVM v. Cucurbita.
(m) MARTIAL. Lib. epigr. X.

Plane aqud eos quoque contumeliae ſpecies fuit, ſi quis diceretur *Kuenskur* vel *Kuennelskur*. (n)

Si cui ne ſic quidem ſatisfiat, illi dico, plures aliasque vias me neſcire, facile ceteroquin laturum eſſe, ſi eam ingrediatur, quam monſtrauit Eccardus. Quem nec ego ducem deſeruiſſem, niſi, vt ſupra monuimus, mutaret & caput legis Latinum & Germanicam gloſſam, *cinnitus* in *cinaedus*, & *Quintuo* in *Quinvot*, dederitque interpretibus Salicae legis exemplum, vt artificio ſimili ex quouis facerent quiduis. Ceterum in hac Eccardi correctione facillime ferrem illud alterum *Quinvot;* eſt enim modeſtiſſimum, (nempe ſecundum Critices leges) & vnice per literarum tranſpoſitionem effingitur. Itaque ſi darem, quod in hoc capite legis ea coërceretur iniuria, quae alteri nomine obſcoenarum mulieris partium obiecto impingitur, nondum tamen hunc ſtatim cinaedum appellatum eſſe crederem. Conſtat enim, ſi quis olim *cunni* vel ſimili foedo nomine vocatus fuerit, rem ita eſſe acceptam, ac ſi dictus ſit *ſpurius*, vel *nothus*. Et tam late patuit huius conuicii vſus, vt etiam Sabini, quibus muliebria pudenda dicebantur σπόριον, eodem vocabulo *vulgo quaeſitis* inſultauerint, vnde po-

(n) HICKES. theſ. ling. ſeptentr. Tom. III. p. 81.

poſtea Romanis *ſpurii* dicebantur. Certe Plutarchus refert. (o) Τὰς Σαβίνας φασὶ τὸ τῆς γυναικὸς αἰδοῖον ὀνομάζειν ΣΠΟΡΙΟΝ· εἶτα ἐφυβρίζοντας οὕτω προσαγορεύειν τὸν ἐκ γυναικὸς ἀγάμου καὶ ἀνεγγύου γεγενημένον. *Aiunt a Sabinis pudenda mulieris ſpurium nominari; itaque ſic ignominioſe appellari, qui ex non nupta muliere natus eſſet.* Quapropter ſi cui acclamabatur *Quinvot!* aut *cinaedus* appellatus videri poteſt, aut *ſpurius.* Quod *ſpurium* malim, moueor ingente huius contumeliae frequentia, magnaque turpitudine, quae cum natalibus illegitimis coniuncta videbatur. Nullum facile vidi ius vetus prouinciale vel ſtatutarium, (excuſſi vero bene multa) quo non illa dictio *Hubrenſohn* vel ſimilis inter atroces referatur. In quibusdam iuribus nullus exſtat contumeliarum coërcendarum catalogus, ſed in vniuerſum aliqua ad iniurias pertinentia ſtatuuntur, & ſic fere ſemper in recentioribus. Antiqua vero iura, quae ſollicitudinem ſuam ad ipſam iniuriarum enumerationem demiſerunt, certisque claſſibus ſecundum atrocitatem earum diſpoſitis mulctam definiuerunt, inter haud leuia conuitia maculae natalium exprobrationem fere ſemper collocant. Horum teſtimoniorum coaceruatio res eſſet exuberantis operae, cum vnicuiuis facilia ſint quaeſitu.

(o) PLVTARCH. Quaeſt. Romanar. p. 228.

Subiungam tamen bina ex ineditis iuribus, certe de quibus mihi non conſtat, quod ſint edita. Sic enim Friſiones orientales ad iniurias atroces, *de an ſyn eer dreplyken dreffen* referunt: *deeff*, *vorreder*, *mordener*, *eebreker*, *hoir*, HOIRKINDT. Similiter vetus ius Hamburgenſe MSCtum: *Wann iennig mann den andern hett deef*, *Röuer*, *morder*, *Vorreder*, *Meneeder*, *Falſchner*, HORENSOHNE; Iterumque: *We vor Gerichte dem andern ſchleit tho den ohren*, *efte* HOHRENSOHNE *betet*. Neque mirum eſt, hoc tantae atrocitatis eſſe viſum, vt in cenſum obiectorum ſcelerum grauiſſimorum venerit. Quem enim latet, ſpurios, adulterinos, inceſtuoſos, Clericorum liberos, ſimilique macula notatos variorum iurium exſortes, imo inter infames ex maiorum noſtrorum ſententia fuiſſe. Itaque cum *Quiwot* ſpurium etiam ſignificare, & hoc opprobrium odioſiſſimum fuiſſe, per ea, quae diximus, non obſcurum ſit, praeſtabit forſan hac vocis interpretatione vti, quam Eccardianam de cinaedis & pathicis adoptare.

Rurſus etiam, ſi nolis ſpurium, *Quiwot* citius interpretarer timidum & imbellem, quam cinaedum. Conſtat, aeque contumelioſum eſſe, ſi quis infami nomine notatur, quam ſi res quaedam turpi vocabulo ſignificari ſolita ipſi monſtretur, & cum applicatione contumelioſa quaſi porrigatur. Et nouimus,

non

non minus litium excitaſſe cornuum demonſtrationem, quam *cornuti* vocabulum. Sic pudenda mulierum ad exprobrandos imbelles animos fugientibus & recedentibus militum cateruis oſtenſa eſſe, pluribus exemplis conſtat, velut Conradum Thuringiae Landgrauium, cum anno 1232. Fritzlariae obſidionem ſoluere iam conſtituiſſet, feminae in vrbe obſeſſa recedentem inſultare coeperunt, & oſtenſis ex muro partibus ſuis obſcoenis, quaſi fugae ipſius irriderent, adeo iterum exacerbarunt, vt reuerſus oppidum igne ferroque deleuerit. (p) Perſicae mulieres maritos ſuos ex acie profugos ad exprobrandam imbellium animorum leuitatem eodem ſigno exagitarunt, & vt in pugnam redirent, coëgerunt. (q) Quare cum hominem, cui corporis muliebris obſcoena monſtrantur, reprehendi videamus vt imbellem, quidni Salicum illud *Quinvot* ad hanc potius, quam ad cinaedi ſignificationem pertinere cenſeamus, praeſertim cum in hanc iniuriam eadem prorſus mulctae quantitas conſtituta ſit, qua coërcetur ille, qui militem abiecto ſcuto ex acie profugiſſe mentitur. (r)

(p) Hiſtor. Landgr. Thuring. ad a. 1253. conf. PAVLINI annal. Iſenac. p. 40.

(q) PLVTARCH. de virtutibus mulierum p. 246. IVSTIN. Lib. I. Cap. VI.

(r) Lex Salica Tit. XXXIII. §. vlt.

Ceterum si quis Eccardianarum coniecturarum amator pertinaciter insistat, & pro *cinnito* legere *cinaedum*, aut ita certe interpretari malit vocem *Quintvo*, non equidem multum refragabor, certe non ex illo, quod aliquos mouit, argumento. Fuerunt enim, qui *cinaedi* opprobrium ne quidem inter iniurias Francicas tulerunt, ob illam castitatis laudem, qua Germani tam Taciti quam aliorum testimonio priscis temporibus floruerunt. Cumque nefandae Veneris vix notitiam tetricae genti relinquant, negarunt per contumeliam alicui vitium obiici potuisse, cuius vix nomen audiebatur, & quod ipsum in lege Salica nullo supplicio coërcitum legitur. Qui si meminerint, quanta huius flagitii frequentia iam Caroli M. & Ludouici Pii temporibus fuerit, & quam grauiter optimi principes, ne latius serpat malum, legibus suis cauerint, & quam denique verosimile sit, Francos huius spurcitiei magistris vsos esse Romanis, (s) facile possent existimare, ne tunc quidem populum Francorum huius labis omnino purum credi posse, cum in prouincias Romanas illius culpae foecundas erumperent, fornicesque eorum & foedos grabatos ab impuris Romanorum amplexibus veluti adhuc calentes, occuparent.

CAPVT

(s) HEINECC. Elem. Iuris Germ. Lib. II. Tit. XXIV. §. CLXX.

CAPVT XI.

Varia de iniuriis, praeſertim vom Schelten aus der Chriſtenheit und Chriſtlichen Scheltworten.

Ridemus illud, quod noſtris quoque temporibus in ore ruſticorum eſt: *Er hat mich aus der Chriſtenheit geſtoſſen.* Sic enim de Meliboeo ſaepe queritur Menalcas iniuriis, quas concoquere nequit, etiam ruſtico ruſticioribus laceſſitus. Et tamen quantumuis inepta videantur verba, legitima ſunt, & in ipſis iuribus antiquis obuia, vt mox probabimus. De iniuriis in vniuerſum digna quaeſtio eſſet, quicquid plebeii ſonent, quae curatius expendatur. Nam vt honor & honoris imminutio ſita ſunt in iudiciis hominum, ea vero variant diuerſiſſime, non iniucundum eſſet, quid pluribus populis, noſtrisque praeſertim maioribus, honeſtum aut turpe, quibusue modis exiſtimationem vel delibari, vel reparari poſſe, viſum fuerit, examinare. Dicemus forſan aliàs hac de re prolixius. Nunc de quibusdam iniuriarum figuris, tametſi ex plauſtris & triuio repetendae ſunt, age, paucis videamus.

Quis modus ille ac veluti pes ſit, ad quem iniuriarum atrocitatem metiri oporteret, non vna omnium fuit ſententia, quorundam etiam ſine rectore fluitat, & inexpectatum diſcri-

men inter atrociores contumelias & leuiores conſtituit. Sic enim Bauari, vt eo redeam, vnde orſus ſum, grauius vindicandas cenſuerunt iniurias, quarum obiectione laceſſitus etiam excluſus a Chriſtiano populo videri poſſet; leuius, quae vinculum illud, quo Chriſtiani continemur, non prorſus tollerent. Et huic inſolitae philoſophiae, minus adhuc ferendum nomen imponunt, quando leuiores iniurias appellant *Chriſtliche Scheltwort*. Praeſtat ad rem omnem cognoſcendam binos ex codice MSCto membranaeo Iuris Bauarici, quem in libraria mea ſupellectile ſeruo, deſcribere. Sic enim in Titulo *de opprobriis* artic. II. *Vom Schelten aus der Chriſtenheit* legitur: *Spricht einer den andern an, er hab in geheiſſen einen Kueſertin ſun, oder einen huntſertinn ſun, oder einen merhen ſun oder waz ſo getaner viehleicher ſcheltwort iſt, da ſol man ſein laugen umbnemen mit ſeinen aid. Es bezeug dann der chlager mit zwain zuim, di ez gehort und geſehen haben, daz er ez gethan hab. Wirt iener vberwunden, ſo iſt er dem gericht ſchuldig werden LXXII. den. vnd ſol der anchlager bereden mit ſeinem aid, was er der chlag und dez rechten ſchaden genomen hab, den ſol er im auch abtun, vnd iſt er vnder einen halben pfunt; Iſt ir aber vber ein halbs pfunt, ſo ſol ſein hand ſelb drit ſein, vnd ſol auch der, der da vberwunden iſt,*

vor

vor offem gericht ſweren, daz er die rede ungeuerlich in Zorn getan hab. Entpräſt aber der Antworter dem chlager, ſo iſt der chlager alles dez ſchuldig, dez der antwortter ſchuldig ware worden. Iterum artic. III. *Spricht einer den andern an, er hab in geheiſſen liegen, oder einen burenſun geheiſſen, oder was ſo getaner chriſtlicher ſcheltwort iſt, da ſol man ſein laugen umbnemen mit ſeinen aid, ez bezeug dann der chlager mit zwain, di ez gehoert, und geſehen haben, daz er ez getan hab, wirt iener alſo vberwunden, ſo iſt er dem Gericht ſchuldig worden XXXII. den. und nach dem zeug LXXII. den. ob er vberzeugt wirt. Entpræſt aber der antworter dem chlager, ſo iſt der chlager allez dez ſchuldig, dez der antwurter war worden.* Haud facile dixerim, an illa Iurisprudentia Bauaris cum aliis gentibus multis fuerit communis. Certe non memini, niſi binorum iurium Auguſtani & prouincialis Alamannici, quibus ſimile quid contineatur. Auguſtanum quidem antiquum, quod ſciam, nondum typis exſcriptum eſt, ſed expectamus eius editionem a conſultiſſimo Wengio, cuius deſiderium excitarunt in nobis & fouent ea, quae ex huius iuris codice V. Cel. Bruckerus, (a) & in gloſſario Schilterus adtulerunt. Et hic quidem fragmentum dedit, quod

(a) v. Beyträge der Critiſchen Hiſtorie der Teutſchen Sprache. P. XVI. n. III.

quod huc omnino ſpectat (b) *Von der Chriſtenhait ſchelten. Schiltet er in von der Chriſtenhait, das iſt ob er in heizzet einen Zohenſuhn, oder Merchenſuhn, oder Muſſenſuhn, chetzer, Mainaid.* Ex his duobus, quae ſibi mutuo lucem affundunt, locis, manifeſtum eſt, iniurias, quibus quis plane Chriſtiano coetu vel indignus vel eo numquam initiatus iactatur, ad illud *ſchelten aus der Chriſtenhait*, pertinere. Nam & haereſeos, & periurii reprehenſio pertinet ad eos, quos vt profanum vulgus odimus & arcemus. Cetera nomina iuris Auguſtani difficultatibus quibusdam inuoluta ſunt. Sed reſpondere videntur Bauaricis, & eo, ni fallor, omnia tendunt, vt natales alterius in dubium vocentur, & quaſi natus ex beſtiis, myſteriisque noſtris haud initiatus, certe indignus eſſet, increparetur. Sic in vtroque iure *Merhenſun*, eſt *equae filius*, *Kueſertin ſun* in Bauarico, & *Muſſenſuhn* in Auguſtano *iuuencae partus*, & *Huntſertin ſun* plane *foetus caninus*, quo referrem quoque Auguſtanum *Zohenſuhn*, quamquam, vnde deſcendat, nunc haud ſuccurrit. Ceteras iniurias, quae communionem credentium non tollunt, neque vt quis vel ſimulac natus eſt ab ea ſegregagatus, vel ob facinus quoddam indignus factus videatur, efficiunt, parum chriſtiano nomine

(p) SCHILTER. Gloſſar. p. 188.

mine Bauari appellant *Christliche Scheltwort*. Hae sunt illae Iurisprudentiae veteris ineptiae, quae dicto, quod supra descripsimus, & quod ne nunc quidem hominum memoriae prorsus excidit, occasionem praebuerunt. Ipsi legislatores expunxere tandem in legum tabulis dictiones stolide impias, & quamuis haec talia contineantur in legibus Bauaricis, vt a Ludouici Bauari Imp. filiis propositae sunt, tamen in repetita praelectione Ducum Wilhelmi & Ludouici, quae anno cIↃ IↃXVIII. promulgata est, alia prorsus iniuriarum distinctio huic, de qua diximus, substituta est; earum nempe contumeliarum, quae corpus vitamque laedunt, vel non laedunt. (c) Ceterum antiquiores iurium conditores ita philosophatos esse de iniuriarum discrimine, non mirum est, afferunt enim interdum distinctiones adhuc magis miras. Sic eodem iure Bauarico LXIII. libr. denar. mulctabatur, qui alterum appellauerat *einen vntreuen pöswicht*; Sin paullo aliter, *einen rechten poeswicht, und er hab in verraten und verkauft*, multis modis atrocior erat poena, corpusque tangebat, quod oblatis bonis omnibus redimere tandem poterat. Varia de his describere possem, sed in describendo sum piger, & aliud habeo, quod agam.

De

(c) Reformation der Bayrischen Landrecht de a. 1518. Tit. XVI. art. I.

De iuris Alamannici loco ſilere non poſſum, quem ſimile quid continere iam ſupra notaui, tametſi verſio Schilteriana nonnihil a vero capitis illius ſenſu recedere videatur. Nimirum ex huius aliorumue quorundam iurium ſententia non facile quis poterat aduocati officium detrectare, ſi a quoquam, vt ageret cauſſam ſuam, rogatus fuerat, & in terris huius iudicii iurisdictione comprehenſis vel domicilium vel fundum & poſſeſſiones ſitas habebat. Recuſare tamen poterat, ſi officium hoc aduocationis in lite contra certas perſonas, velut contra vxorem ſuam, aut liberos aliosque propinquos, aut contra Vaſallum & patrinum poſtulabatur, neque hoc ipſum licebat omni caſu. Nam tunc demum iure deprecabatur, ſi aduocatus rogaretur contra perſonas adeo coniunctas de vita vel membris, vel honore in illo iudicio periclitantes: *Ob in dies clag an ir lip gat, oder an ir geſunt, oder an irin erewerk, daz man ainen menſchen vonder chriſtenhait wil ſchaiden, oder mainaidheit.* (d) Quod ita verti video: *Si agatur de periculo vitae, ſanitatis, aut honoris, vt ſi quis accuſetur, tamquam a coetu Chriſtianorum excludendus, aut tamquam periurus.* Et tamen dubitarem, an haec interpretatio perfecte menti auctoris reſpondeat. Nam ſi quid

(d) Ius prouinciale Alamann. Cap. LXXV. §. 15. edit. Schilter. p. 52.

quid video, tunc excusari quis poterat ab aduocati officio, si pro alio caussam dicere iuberetur contra ipsam suam vxorem, quae si lite caderet, capitis vel membrorum periculum subibat, vel quae iniuriis lacessita erat atrocissimis, vt periurii similibusque contumeliis, ex quibus, si verae essent, christiano nomine videretur indigna. Quapropter durum erat, cogere quemquam, vt contra vxorem suam de his tantis iniuriis acturam aduocatus sit rei, & vt ex officii suscepti ratione coniugis suae vindictam, quoad posset, interuerteret. Haec, opinor, vera iuris prouincialis Alamannici sententia est. Nihil huc *accusatio*, nihil excluso a Christiano coetu, quae fieret in poenam, vt intellexisse Schilterus videtur. Vna & sola sententia, ne quis in caussis capitalibus, & aliis, quae magnum discrimen habent, contra coniunctas personas aduocatus esse cogatur, neue idem fiat in caussis iniuriarum, & quidem atrocium, quas vetus aetas, quoniam atrociorem titulum excogitare non potuit, dixit *Schelten aus der Christenheit*.

Atrociores iniuriae multorum consuetudinibus videbantur, quae feminis illatae sunt, quam quae masculis. In realibus, & quae plane cum vulneratione coniunctae sunt, si mulier laesa esset, mulcta tertiam partem maior erat communi, sin plane grauida, triplum pendebatur ex iure veterum Frisionum. De verbali-

balibus, quibus quis feminas inceſſit, temperare mihi non poſſum, quin ex libro MSCto veteris iuris Hamburgenſis ſingularem ſanctionem adſcribam. *Wan eine leichferdige berüchtede fruwes nahme binnen düſſer Stadt einer ehrlichen Iungfruwen, wedewen, effte echte fruwen mit untuchtigen worden ſprecken gegen ehr Ehre und gute geruchte, und des nit Rechte verwunnen werde, dar ſchall men by dem Kake zwey ſteine an ehren hals hengen, de dar tho denen, vnd ſcholt van den Fruwen apenbar dorch de Stadt geleydet werden, vnd de Fruwen ſcholen ehr mit Hornen vorn vnd nahe blaſen, ehr tho hone und ſchmaehait, vndt vth der Stadt bringen, vnd ſe ſchall de Stadt verſchweren. Idt en were den, dat de Rath dorch Sake ſe begnaden werden.* Tam grauiter coërcebantur mulierculae famoſae, quae iniuriis inceſſebant virgines honeſtas & matronas. Aliquanto mitius viri macula quadam notati, & in feminas honeſtas iniurii. Sic enim huius iuris Gloſſator addit: *Dede ock ſolches ein leichferdig Mann, des Fruwes Nahm an ehr Ehre ſprecken mit vngelimpte, iſs vormahls, ſo ick hore, tho Rechte, ſprocken, dat de muſte up den Block ſtiegen vor den Richthuſe, vnd wedderrepen, dat he vnbilliken hadde geſecht.*

Diximus ſuperiore capite, contumeliam *Hurenſohn* frequenter in oribus hominum im-

impotentis linguae fuisse, adeoque mirum non esse, quod in antiquis iuribus coërceatur dicterii vsus quam frequentissime. Pertinent huc etiam voces *Bastart* & *Banckart*, quorum aeque notus est significatus, ac incognitae nobis sunt origines. Qui quicquid est somniorum etymologicorum ad has voces, quorum pars magna per portam eburneam viris doctis aduolauit, nosse cupit, ex Wachtero (e) restinguere desiderium potest. Ego, si quid video, vocem antiquam, sed nunc obsoletam, fuisse putarem, *Bas* vel *Base*, quae meretricem aut certe concubinam significauit. Descripsi supra (f) iuris Frisici locum, quo *Baesfanck* idem dicitur, quod alibi est *Horgrifft*, i. e. tactio meretricia. Huc Gallorum *fils de bas* pertinet, & vt sunt vocabulorum fata, crediderim inde factum esse, vt *Base* tam *concubina* dicatur, quam *amita*. Quis enim nescit abusum vocis *Mühmgen* etiam hodiernum, quis Romanorum nequitiam, qua struprorum consuetudinem interceßione nominis honesti *fratris* & *sororis* tegebant. (g) Ita malo, quam cum Wachtero *Bastardum* in Graeco παρὸς *thalamus* quaerere. Neque cum viro doctissimo facere possum, quan-

I do

(e) WACHTER. Glossar. v. Bastard & Banckart.

(f) p. 65.

(g) vid. viros doctos ad PETRON. Satyric. Cap. XI. & Cap. CXXVII. edit Burmann. p. 43. & 606.

do *Baſtardum* & *Banckardum* non tantum nominis ſono, verum etiam ſignificatione ſeparat,& hunc vulgo quaeſitum,illum cuius pater certus, mater autem non vxor legitima fuit, explicandum eſſe cenſet, iterumque hunc paternae tantum hereditatis, illum neutrius exſortem fuiſſe contendit. Nam quod vtriusque vocis vſus promiſcuus, ipſarumque perſonarum, quae ita vocabantur, ſi iuris effectum & ſucceſſionis conditionem ſpectes, perfecta aequalitas fuerit, multos adducere poſſem ſponſores. Sufficiat Ius prouinciale Solmenſe: (h) BASTHARTEN, *oder* BANCKARTEN, *ſo auſſerhalb des Eheſtandes*, (*doch nicht von verdamter Geburt*) *gezeugt worden*, *die können vnd ſollen ihren Vatter*, *viel weniger aber ihren Anherrn und Vranherrn nicht erben.* Ceterum non diffiteor, fuiſſe aliquas gentes, quamuis paucas, certe homines quosdam, vt ille Guilielmus Conqueſtor, quibus *Baſtardi* nomen haud contemnendum, imo prope inter honoris elogia referendum eſſe viſum ſit. Sed hoc neque vocis originem, neque communem eiusmodi liberorum ſortem meliorem reddit, & illud vnice confirmaret, quod antiquus auctor dixit, non eadem omnibus honeſta eſſe atque turpia.

Noſtris temporibus in triuio ſaepe auditur igno-

(h) Solmiſches Land-Recht. P. II. Tit. XXV. §. VII.

ignominiosa vox *Haluncke*, de cuius origine non vidi ab interpretibus linguae nostrae in consilium itum esse. Quisquis sit hodiernus eius vsus (in nullis enim vocabulis receditur magis ab origine prima, quam in contumeliis, quas vt primus aestus suggerit, arripit ira & detorquet) crediderim, olim ea designatum esse insidiosum hominem, & proditorem, *Espion*. Iam in lege Salica satis graui mulcta coërcetur, *si quis alterum delatorem clamauerit*, (i) & sic plerisque iuribus, quae conuiciorum catalogos texunt, inserta legitur vox *Verredere*. In antiqua vero lingua nostra *halingon* dicuntur *insidiae*. Otfridus astutiam Herodis, ex sapientibus aduenis natales regis noui expiscantis ita describit: (k)

Z' imo er ouh tho ladota
thie wisun man, th' ih sageta
Mit in ist guater thingon
to fila HALINGON.

Ad se tum inuitabat
Sapientes viros, quos dixi,
Cum iis bono erat animo
& multis cum INSIDIIS

Sic *bolen* olim dicebatur fraudare, (l) nunc

(i) L. Salica Tit. XXXIII. §. 6.
(k) OTFRID. Lib. I. Cap. XVII. v. 81. seqq.
(l) WACHTER. ad hanc v.

etiam *aushohlen*, insidiis aliquem expiscari. Gothis *afholan* est circumuenire, vt Zachaeus apud Lucam (m) Vlfila interprete ait: *jah jabai hois hua* AFHOLODA, *fidurfalth fragilda*, i. e. & si aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Inde igitur *Holunge* vel *Holunke* nostrum deriuari, non absurde disputaretur. Eccardus etiam obscurum conuicium *schurcke* in commentariis ad legem Salicam (n) ab illa delatoris & insidiosi hominis reprehensione deriuat, sed tam prolixis ambagibus, vt etymologia sit γνησίως Eccardiana. Et vt finem faciamus disputationi, quam a sordidis dicteriis nonnihil sordium trahere necesse est, nolo aut recensendis aut excutiendis originibus, vnde vocabulum *Hundsfott* deductum est, immorari. Si credimus Eccardo, illud *Quinsvot*, de quo capite superiore disputauimus, mutatum est, obsolescente voce *Quin* mulier, in *Hundsvot*. (o) Sed haec nimis violenta metamorphosis & prope Circea mulieris in canem mutatio, videri posset, parum fidei apud morosiores habitura, nisi versae figurae commodam demonstremus occasionem. Et meminisse oportet, quod saepe diximus, *Quinsvot* ex Eccardi sententia *cinaedum* esse, nec absurde ita explicari, nisi ma-

(m) Luc. XIX. 8.
(n) ECCARD ad Leg. Sal. Tit. XXXIII. §. VI.
(o) ECCARD. ad Legem Salic. p. 65.

malis eâ sequi, quae ad hanc vocem supra disputauimus prolixe. Cinaedus autem & canis apud antiquos saepe coniunguntur, & in ipsis Apocalypseos verbis arcentur a ciuitate sancta οἱ κύνες, καὶ οἱ πόρνοι, vt Gatakerus (p) interpretatur, *canes & cinaedi*. De cinaedo Ioannes Chrysostomus: ἵνα μάθῃς, ἡλίκον τοῦτό ἐστιν, εἴ τις ἔλθων ἐπηγγέλλετο ἐξ ἀνθρώπου κύνα ποιεῖν, ἆρα οὐκ ὡς λυμεῶνα ἔφυγες; *vt discas, quam grande hoc flagitium sit, si quis ex homine canem facere te profiteatur, tu non vt pestiferum auerseris & fugias?* Atque haec vetus comparatio inter cinaedum & canem immundum credibilem facit mutationem *Quinsvot* in *Hunsvot*, quae sine hoc remedio difficulter procederet.

CAPVT XII.

De clamandi quibusdam formulis, in iuribus Germanorum veterum obuiis, & ipso iudiciorum vsu frequentatis, vt IODVTE, WAPEN, WRAECK, &c.

Plena clamorum est Iurisprudentia Germaniae vetus, cum id ipsum, quod Romani modestius dicebant *agere* vel *postulare*, nostrates *clamare*, actionem *clameum* appellauerint. (a) Angli omnium molestissimi

(p) THOM GATAKERI aduersar. Miscellan. Posthumor. Cap. XXXVIII. p. 825.

(a) CANGIVS in v. Clamare.

plane *clameum perpetuum* in legibus ſuis iudiciariis, teſte Cowello habuerunt. Ita non mirum, quod aduocatorum glorioſa vox in auribus maiorum noſtrorum fuerit *clamor*, & ipſi cauſſidici *clamatores*, vt ſaepe in regum Francorum Capitularibus vocantur, quorum loca collegit illuſtris Heineccius. (b) Fuerunt praeter hos aliae quoque *loquaces perſonae*, vt verbis vtar Burchardi Wormatienſis Epiſcopi, (c) & *Barigallorum* frequenti vſu iactatum nomen, quod & aduocatis datur & apparitoribus iudicii, nullas habet origines alias, quam *Bar* iudicium, vnde etiam *barreau* Gallorum, & *Galm* vel *Gall*, quod noſtris *clamor* eſt, & nunc quoque vſu ſuo durat. Ita vocem iam alibi ſum interpretatus. (d) Nam apage *Barones*, quos aliqui ſi vnquam, hic certe, nimis intempeſtiue citant. Verum raucus ipſe fieret, qui quicquid eſt clamorum & clamoſorum in iuribus antiquis enarraret. Nobis ſufficiat, de quibusdam clamandi formulis, quas primum neceſſitas & vrgens periculum expreſſit, leges autem aliquo iuris effectu inſtruxerunt, & in ipſa iudicia velut introduxerunt, paucis diſputaſſe. Nemo erit, quin praeuideat, in hac disquiſitione frequenter *lo-*

dute

(b) HEINECC. Elementa Iuris Germ. Lib. III. Tit. II. §. LXXXII. in ſcholio.

(c) In Statutis familiae S. Petri apud SCHANNAT. Hiſtor. Wormat. Cod. diplom. p. 44.

(d) in Diſſ. de iudic. Germanorum priuat.

dute, *Wapen*, *Wraek*, *Haro*, *Zetter* & similia auditum iri, quorum omnium & vsus & origo nondum prorsus liberata sunt a dubitationibus. Nos quamquam in superioribus capitum argumentis nonnihil grammaticae dedimus, & vocum legitimarum non minus originem, quam vim & potestatem expendendam sumsimus, hoc loco parum ex deliciis etymologicis pollicemur. De vsu vero & effectu harum dictionum, quas aut anxietas expressit, aut dictauit vindicta, quaedam forte non prorsus trita disputandi dabitur occasio.

Priscis temporibus, quibus animos maiorum nostrorum feroces nondum mitigauerat disciplina, caedesque ciuium, & digladiationes, & feminis honestis illata vis frequentiores essent, quam in nostra republica sunt, aut in vlla bene constituta esse debent, priscis, inquam, temporibus, quibus nondum dispositae cum cura vigiliae, custodesque quietis publicae ac securitatis ciuium contra minus prouisos adsultus nondum habebantur, non mirum est, legislatorum prouidentia de remediis aliis cogitatum esse, quorum ope afflictis & repentino periculo pressis succurreretur. Nullum autem aliud remedium supererat, quam auxilium incolarum vnius loci mutuum, ciuiumque ad data signa concursatio, quae periclitantis ipsius voce ac lamentis

excitaretur. Et quoniam tamen indecens, ac prope ridiculum fuiſſet, ad quosuis fortuitos etiam clamores & querulae anus conuicia ciuium conglobationem ciere, factum eſt, vt quibusdam tantum clamandi formulis, velut *Haro*, *Iodute* &c. ille circumdaretur effectus, ne quis, niſi poenam ipſe ſubire malit, ſimulac eas audiuerit, ad opem afflicto ferendam accurrere detrectet; viciſſim vero, ne quis illis magni periculi ſignis abuteretur, & quae in ſolatium oppreſſorum excogitata fuerant, cum in nullo diſcrimine conſtitutus eſſet, in ludibrium concurrentium conuerteret. Quod priusquam ex genuinis Germanorum iuribus demonſtremus, audiamus Normannos, qui in codice Legum ſuarum ſingulari tractatione *Clamorem de Haro*, & quid circa ipſum iuris ſit, exponunt. (e) Ita vero illi: *Ad hunc clamorem omnes debent exire, qui illum audierint, & ſi maleficium vite vel membrorum viderint, vel latrocinium, propter quod malefactor poenam deberet reportare amiſſionis vite vel membrorum, ipſum debent retinere, vel clamorem ſupradictum poſt ipſum increſcere & leuare. Aliter enim tenerentur emendare principi, vel deſraiſnare, quod clamorem non audierint ſupradictum, ſi ſuper hoc fuerint accuſati.* Quod autem

(e) Cod. Leg. Normann. Reliquiar. Tom. VII. p. 258. Cap. LVI. apud LVDEWIG.

autem nemini liceat impune tales clamores ex cauſſis vel nullis vel vanis tollere, in ipſo capitis limine conſtituitur, & aliqua facinora ceteris, in quibus clamoſa conuocatio liceret, exemplum praebitura recenſentur; *Non enim debet exclamari, niſi in diſcrimine criminoſo, ad ignem videlicet, vel ad latronem, homicidium vel roberium, vel in aliquo huiusmodi imminente periculo, vt ſi quis arrepto gladio irruat in alium furibunde.*

In iuribus Germanorum eadem ſanctio frequenter occurrit, & Saxones noſtri (f) neminem audito clamore domi manere patiuntur, praeter paucas perſonas, Clericos forte, feminas, templorum cuſtodes, cuſtodesque pecudum. Ceteri omnes ſequi clamorem tenentur, modo puberes ſint, & armis ferendis pares, quae tunc accingi poterant, cum alias eorum geſtatio more maiorum noſtrorum in medio, quod dicunt aeuo, niſi bellum fuerit, illicita duceretur. Bauarorum ius adeo ſeuerum eſt, vt eos easue, qui quaeue feminam de pudicitia ſua periclitantem, & ſolito clamore vicinorum opem implorantem, iuuare detrectauerint, eandem, quam ipſum, qui vim intulerat, poenam manere velit. Ita capio verba codicis mei Boici: *Wer auch di Notnunft hort und ſicht und der*

(f) Sächſ. Land-R. Lib. II. Art. LXXI.

frowen nicht zehilfe chumbt, ez ſey Frau oder Man, hinter dem ſol man richten als hinter einen notnunfter ſelber. Ius Hamburgenſe MSCtum in vniuerſum de omni genere periculorum, ad quae non concurrerunt vicini, clamore ſollicitati ſtatuit: *Wor ein Gerüchte ſchut in der Statt, und dar geſchreyet werd und kamen de Nabers dar nicht tho, de dar beſeten ſind, dat ſchollen ſe wedden mit drey Pfund, ein jeder tho der Stadt Koere.*

In ſtupro per vim illato, cum ipſius violentiae interdum difficillima eſſe poſſit probatio, hanc ipſam legitimi clamoris editionem maiores noſtri ſufficere cenſuerunt, vt iudex feminam vim paſſam eſſe inuitam pronunciaret. Itaque nonnullis videbatur vel hoc ſatis eſſe, ſi vnus vel alter teſtis produceretur, *der das Geſchrey geboert*, vt habet Ius vetus Auſtriacum. (g) Sic in libro MSCto ſtatutorum Hamburgenſium Gloſſator ſpeciem refert, quaquidam de corrupta per vim puella vix viripotente accuſatus, quamuis virguncula quaeſtioni ſubiecta conſtanter vim illatam ſibi fuiſſe contendiſſet, tamen inter alias causſas ex hac praeſertim abſolutus erat, quod neque deprehenſus ſit, neque *clamor* ille legitimus ad cuiusquam aures peruenerit, *dat he nit der Daht begrepen, noch beſeen, edder mit*

(g) Ius Auſtr. apud LV- DEW. cit. loc. p. 5.

mit dem Gerüchte vortuget worden. Si qua etiam femina in loco remoto, & quo neque conſiſtere ſolent homines, neque commeare, ſtupro violata ſit, adeoque qui clamores exaudiret, aut opem ferre poſſet, nemo adfuerit, nihilominus eodem clamorum genere, ſimulac ab amplexibus violentis libera erat, ad iudicis tribunal feſtinare variorum iurium ſanctionibus iubetur. Sic iterum in membranis Boicis cautum eſt: *Es ſoll ein jeglich frow di genotzogt wirt, ſwan ſi auz ſeinen banden und gewalt chumbt mit brochen Leib und fladerenden har, mit zerriſſen gependen und zebant hin gent lauffent das gericht ſuchent, vnd ir laſt vveinent vnd ſchreient chlagent, allen den di ez hörnt oder ſehent, vnd vvelche frauvve ir notnunft alſo bechlagt, di ſol man hiruach richten als recht iſt. Es ſind auch alle die di chlag hörnt oder ſehent, ez ſey frovve oder Man zu der Notnunft gut zeugen, ob ſi vvellent.* Plane vt etiam Eiderſtadienſium iure virgo vel mulier vi temerata primo cuiuis obuio ſuas de opprobrio illato querelas manifeſtas facere, & his clamoribus excitatis ad proximum templum, vt etiam campana pulſaretur, accurrere, & adductis ſecum, ad quos quiritata erat, teſtibus, paſſis capillis iudicum opem implorare iubetur. (h) Quod autem inter hos clamores

(h) HEINREICH Nord cap. XI. p. 180. Treſiſch Chron. Lib. II.

res ligulas, & zonam, & quicquid eſt faſciarum muliebrium, ad intenſiſſimi doloris indicium diſcerpere iubeatur, effecit, niſi fallor, vt in quibusdam ſtatutis ille, qui feminae vim intulit, praeter mulctam conſuetam etiam veſtimentorum, quibus tunc induta erat, pretium, & quidem eius triplum, ſoluere teneretur. Ita certe cautum eſt in ſtatutis familiae S. Petri Wormatienſibus, auctore Burchardo Epiſcopo. (i)

Eſt porro inter ceteros vſus legitimi clamoris, quod, qui latronem aut furem occiſurus erat, ſi ab iniuſtae caedis ſuſpicione & a ſolutione Werigeldi liber eſſe volebat, facinus vicinis magna voce teſtificari teneretur. Quamquam hoc Germanis proprium dici non poteſt, cum & Romani furem nocturnum, & interdiu cum telo graſſantem nonniſi cum quiritatione trucidari permiſerint. Plane Scoti cornu etiam inflari voluerunt. *Nam ſi quis*, inquiunt, *latronem in damno ſuo inuenerit cum furto, clamorem ſuper illum ſtatim leuare debet cum cornu, vel cum ore, ſi cornu non habeat, cum alio clamore in vicinia: idque manifeſtare Balliuis Regis.* (k) Ab hac occidendi *latronis* teſtificatione forte non abſurde deduceremus illud *Wraeg, Wraeg, Wraeg!* quod

(i) SCHANNAT. Hiſtor. Wormat. Cod. diplom. p. 47.

(k) SKENAEVS Reg. Majeſt. Scot. Lib. IV. Cap. XXIII. p. 100.

quod in iudiciis Germanorum ſaepius auditum eſt, vt poſtea dicemus. Quin enim *Wrag* & *Wraeg* latro ſit, Germanorum aeque ac Anglo-Saxonum linguis, nemo dubitat. (l)

Erat denique haud poſtremus clamoſorum ſtrepituum effectus, vt facinus fieret *manifeſtum*, & ea iuris via, quam in manifeſtis criminibus leges praeſcribunt, coërceretur. Nimirum inter gentes Germanicas aliquae velut ſingulare ſuum ſibi arrogarunt priuilegium, vt cuiuscunque delicti accuſarentur, iureiurando innocentiam probare poſſent. Hoc Francis datum eſſe ius Alamannicum docet: (m) *Die Francken habent ain recht und ſlahent ſi ainen man ze tode, ſi vverden denn an der hantgetat ergriffen, daz man ir aide nemen muz, ob ſi ſuueren, vvent daz ſi unſchuldig ſien.* Idem Friſiones olim ſibi competere contenderunt. Sed vt palam eſt, ſemper excipiuntur manifeſta facta, in quibus quis deprehenditur. Neque enim ſi ſublato clamore populoque concurrente facinoroſi ἐπ' αὐτοφώρῳ capti fuerint, iuriiurando purgatorio locus erat, aut vt verbis legitimis Germanorum vtar, non admittebatur purgatio *in handhafften gichtigen thaten.* Hinc factum eſt, vt in antiquis iuribus, quae parum

(l) WACHTER. Gloſſ. v. Wrag.

(m) Ius prouinciale Alamann. Cap. CVI. §. 7.

parum arbitrio iudicis relinquere, ſed quoad, fieri poteſt, omnia definire ſolent ac recenſere, catalogus interſeratur facinorum, quae vt manifeſta nec probatione opus habent, neque purgationem admittunt. Codex Iuris Friſici quinque ſpecies refert, quae in hunc cenſum ſolae venirent, *de welke geen bewis brahen, dan allene gichtich vverden in den Gerichte*, & inter eas haec notatu digna eſt: *Wair men ene vrouvve verkrechtiget, dat ſe ſcreyet off roopt ſo lude, dat oer vvapen geruchte volget, vnde dat volck vnde de frana, vnd ſe reddet, wort wat oer dan gedaen is, dat is yecht und apenbaer.* Et iterum alio loco: *De vrouwe de verkrechtiget wort, want ſe ropet und ſchreyet vnd oer wapen ruchte dat volk volget, vnd redden ſe, ſo iſt apenbaer.* Ex his patet, quod diximus, facinora clamore ſignificata, ſi concurſus populi concitatus fuerit, habita eſſe manifeſta, & quicquid illud iurisiurandi purgatorii priuilegium aliàs valuiſſet, eius effectum his clamoribus diſſipatum eſſe. Huc refero etiam notiſſimum ius, quod in quibusdam Sueuiae locis valuit, ne quis facinoroſus aliter condemnaretur, quam ſi alterutro modo conuictus fuerit, *durch das Bimuffte oder durch das Beſibnen* (n) Quid ſit *Benuffte*, neque Dattius dicere auſus eſt, neque Heiderus, & quid auſim

(n) DATT. de pace publ. Cap. §. 67. ſeq.

auſim ego? Si tamen coniectari liceat, cum olim & rapina & raptus mulierum diceretur *Notnufti* & *Notnumfti*, vt eſt in Legibus Friſionum, illud autem a vocibus *Not* & *nehmen*, quod eſt capere, arripere, deriuetur, velut *Vernunft* á *vernehmen*, idemque Belgis dicatur *Vernuft*, (o) quid pronius, quam vt credamus *Binuffte* deſcendere a *Binehmen*, i. e. *Bigreipen*, vel deprehendere. Atque non mirum eſt, odioſiſſimum & reipublicae perquam noxium viſum eſſe hoc priuilegium, quod etiam ideo abrogatum eſt, (p) quandoquidem nemo facinoroſus damnari potuit, niſi deprehenſus, aut ſeptem teſtibus fuerit conuictus. Quid enim occultis delictis, & aliis ſpeciebus infinitis, in quibus neque deprehenſioni, nec illi ſacro teſtium numero locus eſt, faciemus? Cum autem haec talia priſco more olim adhuc obſeruarentur, non poteſt obſcurum eſſe, quam varium & quam ſalutarem effectum habuerint clamores illi, de quibus agimus, lege comprobati.

Atque ita clamabatur in periculis ipſis, tum ad opem vicinorum accelerandam, tum vt eo facilior eſſet poſtea conuictio, nec elaberetur facinoroſus, ſi ex priuilegio ſuo per iusiurandum purgatorium in delicto nec manifeſto elabi potuiſſet. In iudiciis, praeſertim quae de

(o) WACHTER. in v. Vernunft, & Not. (p) DATT. cit. loc.

de crimine manifesto in deprehensum cogebantur, repetebatur clamor, & accusationis quasi caput ac principium erat. Sic auctor libelli des Richtsteigs: (q) *Dat gerüchte scholle vorgaen, wente dat is der Klage begim.* Et hinc in aliis, quam quae in deprehensum exercebantur iudiciis, nullus erat clamori locus. Diserte Repkouius: (r) *Wo keine handhaffte that ist, da muss man ohne gerüfft klagen;* Nisi forte accusator digladiatione contendere, suarumque querimoniarum veritatem duello probare voluerit, quippe quod eiusdem virtutis ac potestatis esse credebatur in nec manifestis delictis, quam in manifestis deprehensio. (s)

Tam varius eiusmodi clamorum vsus erat & effectus. Et clamatum etiam est varie, secundum diuersarum gentium linguas & indolem, ita tamen vt in plerisque formulis conuocatio *ad arma!* vel simile quid contineatur. Sane Normanni, vt supra diximus, solemnem vocem *Haro!* adhibebant, quam neque a Germanico *Her! hieher!* (t) neque cum Cangio a Radulfo Neustriae duce, quasi esset

Ha

(q) Richsteig. Cap. XXXIII.

(r) Land-Recht Lib. II. art. LXIV.

(s) HEINECC. Elem. Iuris Germ. Lib. III. Tit. IX. §. CCXVI. in scholio.

(t) ROTHII disquisit. de nominibus, vocabulisque quibus Medicos veteres Germanni appellarunt. pag. 26.

Ha Raoul! i. e. adesdum & opem fer Radulfe! (u) quicquid placuerit eruditis Benedictinis, sed cum Hickesio, cuius coniectura non dicam probabilis, sed prope certa videtur, a Cimbrico *Hior* & Gothico *Hairus* i. e. gladius, deducerem. Quid enim manifestius esse posset, cum in ipsis legum Normanicarum verbis expressum sit, iudicia per clamorem de *Haro* coacta dici consueuisse *iudicia spade*, & apparitores in eis *spade seruientes*. Diserte leges Normannorum in capite de clamore de Haro: (y) *Et huiusmodi placitum* SPADE *dicitur*. Huic voci nostra *Wapen* plane gemina est, quae olim & in discrimine ipso, & in iudiciis saepe repetita clamabatur; vnde *Wapengeruchte*, quod nomen in loco iuris Frisici supra descripto & in multis aliis occurrit. Plane tanta inter vtramque clamandi formulam similitudo est, vt *Haro* & *Wapen*, cum vtrumque significet *arma*, vtrumque etiam propter vsum clamosum in eam postea significationem deflexum sit, vt etiam *clamare*, *gemere*, *plorare* denotarent, quod multis argumentis Schilterus ostendit. (z) Nam apud Keronem *Haret* vertitur *clamat*, similiter *wafan* apud eundem est *gemere*, *clamare*, & sic in aliis locis pluribus.

K Vel-

(u) CANG. in v. Haro l. p. 260.
(y) Cod. Leg. Normann. apud LVDEWIG. cit.
(z) SCHILTER. Glossar. p. 433. & p. 825.

Vellem etiam, vt illud notiſſimum *Zetter* aeque ac priora bina de *armis* poſſet explicari, vt ſane a quibusdam explicatum eſt. Ita enim conſpirarent hae flebiles voces, & cum ad id comparatae ſint, vt ad arma conuocent ciues, quae poſſet eſſe melior interpretatio, quam hoc ipſum *ad arma!* Sed huius rei nullum aliud argumentum afferri video, quam quod II. Feud. 27. in lege Friderici I. Imp. *calida manus* dicatur *Zitterhand*, *manum* autem *calidam* eandem eſſe viri docti putent, ac *armatam*. Ego cetera, quae poſſent obiici, miſſurus *calidam manum* in lege Friderici non eſſe *armatam* contenderim. Tres enim Imp. ſeparat laeſionum ſpecies, primam, ſi quis vulneratus ſit armis, alteram, ſi percuſſus ſit fuſtibus non tamen vsque ad ſanguinem, tertiam ſi absque eiusmodi percuſſione verberibus tantum male habitus fuerit *calida manu*, id eſt, ſi quid video, pugno & manu inermi. Quae enim alias huius ſpeciei ſeparatio eſſet a binis prioribus de laeſione, quae fieret armis vel fuſtibus? Itaque tantum abeſt, vt *Zitterhand* & *calidam manum* interpretarer *armatam*, vt ei potius ex ſententia legis manifeſta telum extorquerem. Parum etiam huc faceret Alamannica Lex (a) quae *curtis epiſcopalis* temerariam violationem voce Germanica dicit *Haiſtrahanti*. Nam vt taceam, nihil hic

(a) Lex Alamann. Tit. X.

hic de *armis*, nihil de voce *Zetter* afferri, tum et Schilterus optime notauit, (a) in quibusdam codicibus legi *Hauſteranni*, & hoc commodiſſime accipi poſſe *Hausſtören*, vel, vt poſtea delictum illud appellari conſueuit, *Heimſuchen*. Ita nihil ſupereſt, ex quo *calidam manum* diceremus *armatam*, & *Zetter* vicissim *arma*. Quae verior vocis origo haberi poſſit, haud facile definiuerim. Wachteri enim coniecturam, quod ab Islandico *ſyta* i. e. *plangere*, deſcendat, in earum numero tenerem, quibus nec accederem prorſus, nec refragarer.

Iodute, quod olim frequentiſſime audiebatur, & nunc etiam alicubi durat, eadem obſcuritate premitur. Qui loca veterum & recentionum, quibus ea vox continetur, collecta legere cupit, illi ſatisfacient Heineccius, (c) Wachterus, (d) & Friſchius, (e) pleneque docebunt, vſum clamoris *iodute!* non ſolum in periculis & afflictorum quiritatione, verum etiam in iudiciis accuſatorum & praeconum voce frequentatum eſſe. Et quod parum aut nihil eius ſignificatio recedat a clamore

(b) SCHILTER. in notis ad L. Alem. cit. loc. apud KONIGSHOVEN p. 660. & in Gloſſar. p. 443.

(c) HEINECCIVS in Elem. Iuris Germ. Lib. III. Tit. IX. §. CCCXIII. in ſcholio.

(d) WACHTER Gloſſar. in v. Iodute.

(e) FRICSCH. Obſeruat. in Miſcellan. Berolinenſ. Tom. IV. p. 195.

more *Zetter*, ex collatione plurium verſionum biblicarum ad *Ierem. XII. 6.* manifeſtum eſt. Quod enim Lutherus *Zetter* expreſſit, illud in verſione Lubecenſi, nec non in Danorum Suecorumque bibliis, redditur *Iodute!* Vnde ſit, vt faſſus ſum, mihi non liquet. Nam procul eſt, & a plerisque deſeritur illud idolum Saxonum *Iodute*, quod Cranzius, (f) cum antea trophaeum fuiſſet, diuinos honores a plebe, tamquam deum tutelarem, obtinuiſſe, formulaque *Iomi adiute!* inuocatum eſſe coniicit. Sed alii hanc columnam *Caeadute* dictam eſſe commemorant; (g) & quicquid ad deducendum inde clamorem quiritantium affertur, illud, ni fallor, aeque parum habet veroſimilitudinis, (h) ac deriuatio clamoris *Haro!* a Radulfo duce. Peregrinas origines a *Dio adiuti* difficulter admittent, quibus Italicas vel Latinas voces in Germanicae plebis ora veniſſe, non admodum probabile videbitur. Haud ſecus ac viris doctis adſentiri non poſſum, qui obſcuras Sleſwicenſium formulas, quae ne nunc quidem exoleuerunt

A Iova tuta nei!
Awi a woka nei!

ex Latino ſermone deducunt, & a Cimbris Ro-

(f) CRANTZ. Metropol. VI. Cap. VII.
(g) WORM. monument Dan. p. 19.
(h) v. HEINECC. & WACHTER cit. loc.

Romanarum victoriarum reliquiis in has terras, cum ex ore militum Romanorum didiciſſent, allatas & ſic explicandas eſſe contendunt :

O Ioua tuta me!
A vi avoca me! (i)

vel vt Heluaderus adhuc incredibilius interpretatur : *Ioua, tu de te aiebas, voca me!* Sic enim intelligendo conſequeremur, vt intelligamus nihil, & Trosne an Rutulus, aut Cimber loquatur, neſciamus. Quis etiam ab adeo priſcis temporibus Latinam formulam in ore plebis Germanicae duraſſe crediderit. Ac ſi mihi ius aequum detur, vt totidem, aut pauciores aliquanto, quam Heluaderus & Arnkilius, literas immutare liceat, ſique *tuta* per noſtrum *toedten*, & *woka* per vetus noſtrumque *workan* vel *würgen* explicari poſſet, quidni malleмus illas exclamationes Germanicas *A Io!* & *a wi!* agnoſcere, totamque formulam interpretari *Obe! occidit me! Obe! ſtrangulat me!* Ita ſi non valde probabiliter, quod nec ipſe quidem ſomniarem, aliquanto tamen credibilius diſputaretur, quam a viris doctis factum eſt. Certe Germani Germanice loquerentur, & hoc quaerimus ad euitandam intempeſtiuam μετάβασιν εἰς ἄλλην γλώσσαν. Atque

(i) ARNKIEL. Cimbr. 150. ſeq.

vt ad noſtrum *Iodute* reuertamur, nollem *adiutorium* ex peregrina lingua. Haud equidem ignoro, inter ſolemnes illos clamores etiam fuiſſe *Helffeio!* vt eſt in actis iudiciariis, quorum particulas in appendice ad Königshouii Chronicon edidit Schilterus. (k) Sed cur Germani, praeſertim in periculis, clamaſſent Italice vel Latine *Aiuto?* In Gloſſis Romano-Theotiſcis, quas Eccardus edidit, (l) ſimilis occurrit vox *Ajatutti* & explicatur *wela alle;* ſed hoc a noſtro Iodute, ni fallor, alienum eſt. Friſchius & Wachterus in etymologiis ad hanc vocem populum excitant, qui olim *dute* vocabatur, vt ſit *Io dute!* idem ac *adeſte homines!* vel vt apud Romanos *porro Quirites!* Ego non multum abhorrerem a ſententia Buſchii, (m) qui *Io doyt* interpretatur *Wapen*, & vt quidem optime a celeberrimo Kreſſio (n) acceptum eſt, a noſtro *toedten*, quod alicubi effertur *tüden*. Moueor analogia vocis *Mordio* vel *Mordaio*, quod in noſtratium ore nunc adhuc auditur, olim autem frequentiſſimus clamor erat, adeo vt eius mentionem etiam in cantiuncula Wetterauica, quam

(k) SCHILTER append. ad KOENIGSH. Obſ. XV. p. 819.

(l) ECCARD. Comment. de rebus Franc. Orient. T. I. p. 855.

(m) apud LEIBNIT. Script. Brunſuic. Tom. II. p. 896.

(n) KRESS. ad conſtit. Crim. Carol. art. LXXXVII.

quam ex manuſcripto Lersnerus edidit, (o) factam eſſe videamus:

Reucker Uder
Schlug ſein Mutter,
Schlug ihr Arm und Bein entzwey
Daſs ſie Mordio! *ſchrey.*

Quid frequentius in tumultu deſcribendo coniungimus, quam *Mord und Todſchlag.* Ita *Io Mord*, & *io todt*, in ſoni & vſus ſimilitudine non abſurde coniungerentur, alterumque explicaretur ex altero.

Supereſt vociferatio *Wraeg!* de qua ſupra diximus, non incredibile videri, quod a caede furis nocturni vel graſſatoris, quippe qui *Wrag* lingua noſtratium priſca vocabatur, originem traxerit. Poteſt etiam accuſatoria vox dici. Nam *rügen* eſt deferre, & in Speculo Saxonico dicitur *wrogen* & *wroegen*, Bremenſibus *das wroge-Gericht.* Similiter in aliis legibus occurrit *die wroge* (p) & in antiqua Friſica (q) *Wer ſo me een Vrouwe wroeget* i. e. qui mulierem accuſat. Aliàs etiam haec via poſſet iniri, vt quoniam *Haro*, *Wapen*, *Iodute* & *Mordio*, omnes, inquam, & ſingulas hasce voces *caedem* & *arma* eſſe nouimus, hic quoque clamor *VVraeck* deducere-

(o) LERSNER. Franckfurter Chronick p. 492.

(p) Reformation der heimlichen Gerichten und Acht. Cap. XVIII.

ceretur ab antiquo Germanico,& nunc etiam Belgis vſitato vocabulo *Raeck* ictus ; vnde illorum *Raeckropen*, rixari. Sic Ius Vianenſe : (r) *Maer indien hy ymant raeckt.* i. e. *Sed ſi aliquem percuſſerit.* Imo non multum eis refragarer, qui *Rache ! Rache !* vltionem, hac vociferatione quaeſitam eſſe credunt, vt credidit celeberrimus Kreſſius. (s) Gothis enim dicitur vindicta *VVracja*, & Anglo-Saxonibus *VVraece.* (t) Sed ſatis eſt ad vnam vocem coniecturarum. Nam parum abeſſet, quin vlterius progreſſuri hoc *VVraeg ! VVraeg ! VVraeg !* inter querulae conuicia ranae & in Ariſtophaneo βεκκεκκεκκέξ amitteremus.

(r) Ius Vianenſe ex'edit. van der Muelen. p. 254.
(s) KRESS ad Conſtit. Criminal. cit. loc.
(t) WACHTER in v. Rache

IOANNIS GVILIELMI HOFFMANNI OBSERVATIONVM IVRIS GERMANICI LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Explicantur aliquot Gloſſae Malbergicae ad Legem Salicam, velut CHALIP SVBDVPIO *Tit. XLIV. §. III. &* NVCHALA *eodem tit. §. XIV. &* AVTHVMIA *Tit. XIV. §. I.*

Delector, quidni enim faterer, cana Salicae legis antiquitate, priſcique iuris noſtri vocibus & reliquiis, quibus vix ſupererunt vetuſtiores. Dabimus eis igitur aliquot adhuc capita, quae non adſpernabuntur illi, quibus ſuperioris libri luſus indulgentia digni viſi ſunt. Celebris huius legis interpres Eccardus, vt raro deſpicit acumen ſuum, ita vix vllum caput aggreſſus eſt, quin ea felicitate coniectandi difficultates omnes ſuperari poſſe ſperauerit, qua ſupera-

uit omnium conſenſu aliquas. Et tamen haeſit ei aqua, cum ad Tit. XLIV. §. III. peruenisſet. Digna ſunt, vel ob hanc vnam difficultatis iactationem verba, quae deſcribantur.

> *Si quis hominem in puteum, aut in vipida iactauerit, & viuus exinde euaſerit, vt ad caſam ſuam poſſit accedere.* MALB. CHALIP SVBDVPIO *IIII M. den. qui faciunt ſolid. C. culpabilis iudicetur.*

De *vipida* non valde disquiram. Si vel enim hanc vocem nocti ſuae relinquas, clarum nihilominus erit, in hoc capite mulctam definiri, qua ſubmerſio hominis, ſed qui vitae diſcrimen euaſit, cœrcetur. Non male huc retulit Eccardus Friſionum *Quabeldranck*, de quo ceteris teſtimoniis addere potuiſſet illam, quam Heimreichius (a) ſeruauit legem, *Quabeldranck iſt wann imand in een onwad wetter word worpen dat hey met aegenem mey ſiaen hor himel, nor Vrda, nor dina grond reka mitta handen nor mitta Voten.* i. e. Si quis in aquam, quae permeabilis non eſt, deiiciatur, vt oculis ſuis nec coelum conſpicere poſſit, nec terram, nec fundum pedibus manibusque attingere. Num

(a) HEIMREICH. Nord- Freſiſch. Chron. p. 16.

Num autem ab antiquis gurgitum nomibus *wimpel*, *wapel* & *wapelinck* ipsa detorta sit vox *vipida*, vel vt Eccardus legit *vipila*, definiat ex suo quisque iudicio. Nobis de voce Malbergica vnice disputaturis sufficit, legis sententia contineri, ne impune sit alterum puteo vel aliàs aqua mersisse, quamuis etiam ille viuus euaserit.

Adscribit igitur Glossator : CHALIP SVBDVPIO, de quibus vocibus Eccardus *Oedipo*, inquit, *hic opus est*, *adeo corruptus est locus*. Experiar, quid possim Dauus. Nondum enim mihi persuasi, adeo desperatum esse nodum, vt de Thebanis aenigmatibus & monstris quiritari fas sit. Eccardus, vt tamen & hic aliquid egisse videatur, restituit *Chalic seu dupio*, & *chalic* gurgitem esse putat, quem & nunc Belgae dicerent *Kolk*, Poloni vero *Glebo*, cum viciſſim *dupio* sit vetus *düpe* nostrum *tieffe*, abyssus. Talibus qui praeter modum sunt creduli subscribent, non ego.

Priusquam sententiae meae rationem reddam, illud, quamquam nulli Legis Salicae lectori attento ignoratum, monere tamen oportet, in vocibus Malbergicis modo ipsam rem, quae Lege continetur, modo mulctae quantitatem exprimi, interdum etiam vtrumque. Horum omnium exempla vel solus Legis nostrae

ſtrae Titulus II. exhibet. Sic quando mulcta eſt MCCCC. denariorum, adſcribitur *Tua ſeptanchunna*, (b) quod aperte ſignificat *zweymahl ſieben hundert*, & ſic in aliis locis pluribus. Plenum, quod pro caede hominis pendebatur, Werigeldium erant ex lege Salica VIII M. denarii, vel ſolidi ducenti. (c) Si quis vero, cum in puteum coniectus eſſet, mortis periculum euaſiſſet, ſufficere crediderunt legislatores dimidiam Werigeldi partem, nimirum, vt ex verbis ſupra deſcriptis patet, IIII M. denarios, vel ſolidos centum. Et eo ſpectat noſtrum *Chalip*, i. e. dimidia, vel, vt nunc os componimus, *Halb*. Sic *Ahalepte* & *Alafti*, quod vtrumque *dimidiam partem* indicat, occurrit in Lege Salica, vt recte has voces cum Wendelino legit & interpretatur Eccardus, quicquid contradixerit Schilterus, (d) Cangii ſententiam ſequutus, quam ne ipſi quidem ſequuntur noui editores eius Benedictini. Quod igitur noſtris temporibus exprimimus *alb* & *elff*, id olim Francis *alep* & *alip* dicebatur, velut etiam Gothi noſtrum *Zwölff* duodecim, *Twalib* extulerunt. (e) Sic *Helffte* vel *halb* manifeſto eſt in voce *halip*, & cum aſpiratione Francis vſitatiſſima *Chalip*.

(b) Lex Salica Tit. II. §. V.

(c) Ibid. Tit. XLIV. §. I.

(d) SCHILTER. Gloſſ. in v. Ahelepte & Thoalaſti.

(e) Gloſſ. Vlfila-Goth. p. 141.

lip. Spelmannus in Gloſſario (f) ex antiquis conſuetudinibus vocem *Alepimann* eruit, qua hominem proprium indicari recte vidit, ſed vnde ſit, nec ipſe interpretatus eſt, nec Cangius. Ego per eas, quas modo tetigimus, etymologias non dubitarem explicare *Halbmann*, vt nunc etiam in lingua noſtra de quibusdam hominibus propriis durat vox *Halbbauer* & *Halbeigen*. Ita intelligeremus, quid ſit in Lege Salica *Chalip*, & ſine mutatione literarum conſequeremur, vt conſpiraret cum verbis Latinis, & cum illa, quae lege exprimitur, mulctae quantitate, dimidia nimirum Werigeldi, vel centum ſolidis. Et ſic malo, quam Eccardianum *Kolck* & Schilterianum *Lif* vel *Leib*; Nam noſtrae ſine vi ſunt coniecturae, & verbis Latinis, ni fallor, melius conueniunt.

Ecquid igitur faciemus alteri voci *Subdupio*, quam ex abyſſo, *düpe* vel *tieffe*, protraxit Eccardus, & cum primam vocem *Chalc*, i. e. *gurges* explicaſſet, cenſuit a Gloſſatore, vt cumulat ille nonnunquam ſynonyma, ſuperadditum eſſe *ſeu dupio*. Contra quam eius coniecturam adduxiſſem ego, melius rem procedere, ſi *dupio* interpretaremur *mergere*, vt nunc etiam dicimus *tauffen*, niſi poſtea vidiſſem occupatum hoc fuiſſe ante me a Schiltero.

(f) SPELMANNI Gloſſ. v. Alepimann.

tero. (g) Sic idem delictum ſubmerſionis, quod in hoc Legis Salicae capite coërcetur, in codice meo Friſico dicitur *VVaterdoping*. Sic Franci onocrotalum vocarunt *horo-tupil* quod coeno ſe *mergat*, (h) Aelfricus mergulum *Gugel-doppe*, (i) Anglo-Saxones mergere vel intingere *dyppan* & *bedyppan*. (k) Inde Italorum *attuffare* 'mergere ac mergi, ad quam vocem multa turbauit Ferrarius (l) ſed quibus excutiendis iam non vacamus. Ita *ſubdupio* eſſet ſubmergere, adiecta nimirum in vocis capite Latina particula *ſub*. Quamquam verendum mihi erit, ne ita rem explicanti occlametur, fieri vocem hybridam & Gloſſae Germanicae, quam ceterarum exemplo totam eſſe oporteret Theutonicam, admiſceri aliquid Latini. Quod in interpretatione mea iure reprehenderetur, ſi eiusmodi compoſitio vnius vocabuli ex linguis duabus coaleſcentibus eſſet ſine exemplo. Aſt in ipſa Lege Salica Tit. XXXIII. vna Malbergi vox bis occurrit, AVSTRABO & EXTRABO. Quid ea ſignificet, & vnde ſit, longa foret fabula. Sufficit hoc exemplo & hoc promiſcuo vſu particularum *aus* & *ex* ſine

(g) SCHILTER. Gloſſ. p. 161.

(h) WACHTER. in v Dommel.

(i) AELFRICI Gloſſ. edit. SOMMNERI pag. 62.

(k) SOMNERI Diction. Anglo-Sax. v. bedyppan.

(l) FERRAR. Origines linguae Ital. v. attuffare.

ſine dubitatione manifeſtum eſſe, quod interdum ex diuerſis linguis vna gloſſa componatur, & capiti Latino lacinia Germanica iungatur, aut viceuerſa vocabulum, quod Theutonice efferri coeptum eſt, deſinat in caudam Latinam. Vt igitur breuiter omnia complectamur *Chalip ſubdupio* eſſet *dimidia pars Weregeldi in poenam ſubmerſionis praeſtanda*, quod quam accurate conueniat cum ipſa Legis ſanctione, dicere ſuperuacuum eſt.

Temperare mihi non poſſum, quin huius capitis explicationi aliam adhuc ſimillimam ad eiusdem Tit. § XIV. adiungam, in quo ceteris interpretibus ſicca videntur omnia, ego vero iterum pontum & aequor & ſubmerſionem eſſe forſan non ſine ratione crediderim. Ait Lex

> *Si quis puellam ingenuam occiderit* MALB. NVCHALA *VIIIM. den. qui faciunt ſol. CC. culpabilis iudicetur.*

Ad quod Eccardus *Omni*, inquit, *dubitatione remota reſtituendum eſt* AVTHALA, i. e. edele. Ego vero, ſi licet, dubitauerim ex cauſſa non vna. Nollem, vt vulgo accipi video, Legem, quam deſcripſi, de caede puellarum ingenuarum in vniuerſum explicare, nam de illa iam ſupra cautum erat Tit. XXIIX. §. 9. neque video, quid attineret, vnam & eiusdem ſententiae ſanctionem iterum repetiiſſe. Sed cum in hoc Titulo XLIV. tribus capitibus, quae hoc noſtrum proxime antecedunt,

de ſub

de ſubmerſione caueatur, & quanta mulcta maneat illum, qui hominem coniecerit in puteum, ſi elapſus inde ſit viuus, definiatur §. XI. quaeue maneat, ſi mortuus ſit in puteo §. XII. quae denique, ſi, qui coniectus eſt in pelagus, enatauerit, §. XIII. ſtatuatur, quid dictu credibilius, quam quod in eadem capitum ſerie §. XIV. non de omni caede puellarum, quippe cuius mulctam alio loco lex definiuerat, ſed quae fieret ſubmergendo, praecipiatur. Et accedet huic interpretationi noſtrae nonnihil ponderis, ſi vocem *Nuchala* ipſi tam accurate reſpondere demonſtrauerimus, vt electa, quam monſtrauimus, via, neque cum Eccardo reſcribere *Authala*, nec alio quocunque modo lectionem immutare neceſſe ſit.

NOCCA gentibus antiquis, quarum ſedes verſus ſeptemtriones porrigebantur, numen erat, cui priſca ſuperſtitio tribuebat imperium pelagi, & hac hominum credulitate factum eſt, vt aqua merſi olim crederentur a *Nocca* rapti & ſuffocati. (m) Hinc Naiades, vel potius ex ſententia plebis aquarum furiae dicuntur *Waſſer-Nixen;* hinc ipſis fluminibus nomen haeſit *Neckar*, i. e. quibus praeſideret daemon aquarum dominus. (n) Haec quo

(m) WACHTER. Gloſſ. v. Nicks. ECCARD. Comment. de rebus Franciae Orient. Tom. I. p. 421.

(n) LOCCEN. antiquit. Suec. p. 14.

omnia vero, vt Wachterus oſtendit, ab antiquo *noeken*, quod eſt mergere, vel ſuffocare, deſcendunt, cui quodammodo reſpondet Graecorum *νήχω*, *nato*. Itaque cum ceterorum capitum ſeries & nexus per ſe iam ſatis demonſtret, non de quauis caede puellarum, ſed de illa ſubmerſione, cuius poenam quoad maſculos definiuerant proxime ſuperiores leges, hoc articulo caueri, quidni confirmaremur in hac ſententia, cum etiam vocem Malbergicam *Nuchala* non commodius reddi poſſe, quam *ſubmerſam*, per ea, quae modo diximus, manifeſtum ſit.

Valde inclinat animus, vt ex eodem fonte tritiſſimum proſtibulorum nomen *Nickel* deriuem. Ingenioſi fuerunt noſtrates in excogitandis feminarum pudicitiae proſtratae ludibriis, & multis locis obtinuit, vt meretrices nudae mergerentur aquis, & ſtatim extractae iterum bis vel ter ita tingerentur. Francofurti ad Moenum tale quid adhuc a. cIↃ IↃ LXXIII. obſeruatum eſt. Ita enim ad hunc annum Lersnerus: *D. 16. Maji wurden drey Huren nach damaligem Gebrauch mit der Schnell in das Waſſer geſchnellt.* (o) Hic vero, qui non ita pridem in quibusdam locis deſiit tingendi mos, plane antiquiſſimis temporibus obtinuit. Aliter enim accipere

(o) LERSNER Franckfurter Chron. p. 495.

nequeo verba Ekkehardi Iunioris, (p) quando Presbyteros reprehendit, *quod feminas nudatas immergi impudicis oculis curiosi perspiciant.* Nollem haec explicasset Goldastus, (q) & cum eo Cangius (r) de iudicio vel *probatione per aquam frigidam.* Non enim nudae huic ordalio feminae committebantur, sed vestibus quibusdam constrictae, non suis, & quas aliàs induere solerent, sed imprecationum quadam formula praeparatis, vt erat hoc iudicium stolide impium diris carminibusque plenum. Sic autem intelligo verba veteris cuiusdam harum ceremoniarum descriptionis: *Post coniurationem autem aquae exuat eos vestimentis suis, & induat vestimentis de exorcista, & alliget in eis singulariter sinus rectae consuetudinis &c.* Illud certe per ea palam est, non nudos, sed inuolutos, in hoc iudicio homines aquae impositos esse. Neque Presbyteris vitio verti potuisset, quod huic solemnitati praesentes adstitissent, siquidem penes eos erant *benedictiones*, quas dicebant, *aquae* pronunciare. Sed ad immersionem meretricum ludicram magis quam religiosam accurrere, illasque libidinis victimas, vt abluantur, oculo curioso intueri, hoc erat, quod vere-

(p) EKKEHARD. de casibus Monasterii S. Galli apud GOLDAST. Rer. Alem. Tom. I. p. 56.

(q) GOLDAST. in notis ad Ekkehard. loc. pag. 132.

(r) CANG. in v. Aqua.

verecundae frontis Clericum dedecebat. Quapropter non fuit, cur aquae frigidae iudicium huc traheret Goldaſtus, & illam grauem ſuam animaduerſionem alieno loco ſubiiceret, quod hoc Ekkehardi teſtimonio merum imperium Conſtantienſi Epiſcopo in terris Abbatis San-Gallenſis aſſeri poſſet. Quicquid ſit, obtinuit olim & diu feminarum impudicarum iocoſe infamis ſubmerſio, & vt facinoroſos homines frequenter inceſſere ſolemus nominibus a poenarum figuris, quas aut tulerunt, aut ferre merentur, deriuatis, ita ſi qua vel hunc in modum merſa fuerit, vel quae mergeretur digna ſit, quin a *necken* mergendo vocari potuerit *nickel*, cur magnopere dubitaremus. Talia diſputantem non fugit, originem contumeliae *Nickel* aliorum coniecturis in ſtabulo & inter equos quaeſitam eſſe, vt nuper adhuc eam repetiit Wachterus a voce *Nack* equus. Neque diſſimulauerim huic ſententiae ex ceterarum linguarum conſenſu potens argumentum, quo defenderetur, accedere. Huc enim adduci poſſet a Graecis & ex Alciphrone (s) ἱπποπόρνος, ſimiliter etiam Gallorum *haqueneé*, velut illa regis Anglorum Henr. VIII. vxor Anna Bolenia, cum adhuc in aula Gallorum verſaretur, ob pudicitiam profligatam *la haqueneé d'Angleterre* vocata legitur.

 (t) Te-

(s) ALCIPHRONIS Epiſt. p. 152.

(t) BAYLE Diction. artic. Boleyn.

Teneat quisque in eligenda vocis etymologia viam, quam velit. Nobis, quando haec ἐν παρόδῳ disputare libuit, sufficiet in lege Salica vocem Malbergicam *Nuchala* seruasse simul & explicasse.

Quae si tibi haud displiceant, amare nequis *Authalam* Eccardi. Cur enim, quod salua lectione commode potest intelligi, quaereremus mutata? & hoc vnum ad nostrae coniecturae praerogatiuam, si qua est, demonstrandam sufficit. *Authalam* tamen suam adeo perdite amat Eccardus, vt eam secum vbiuis fere circumducat, & in aliis quoque Legis Salicae locis, tametsi, meo certe iudicio, non vbiuis commode fieri potuerit, collocet. Pertinet huc praesertim Tit. XIV. §. 1. cuius ecce verba:

> *Si qui tres homines ingenuam puellam de casa aut de screona rapuerint.* MALB. AVTHVMIA.

Facio cum Eccardo, vbi *screonam* interpretatur *tugurium*. Cetera, praeter Malbergi glossam, planissima sunt, & cum per omnia Tit. XIV. capita vel de feminarum raptu caueatur, vel de stupris & adulteriis, in hoc primo praesertim trium hominum concursus ad extrahendam *ex aedibus*, & rapiendam *ex casa sua* puellam ingenuam excitatus coërcetur. *Authumia* igitur, si quid video, vnius lite-

literulae mutatione verbis Latinis aptari poteſt, & qui mecum legerit *Authuſia*, inueniret forte *feminam domo raptam.* Nam quod olim imo nunc etiam in multis locis *Aut* pro *aus* & *hus* pro *haus* dictum ſit, probare putidum foret. Ipſa vero compoſitio *Authuſia* nihil ſonat inſoliti; ſimilis enim eſt Alemannicae voci *Aufhuſus*, quam Grotius bene interpretatur *domum patentem.* (u) Habet etiam haec explicatio mea forte hoc commodum, quod Gloſſam non vagam, & quae Legibus aliis etiam adſcribi poſſet, ſed huic praeſertim vni capiti conformem reddat. Quatuor enim prima Tit. XIV. ad quem diſſero, capita raptum *ex aedibus*, quas inhabitat puella, coërcent, poenamque ipſius raptoris, & eorum, qui ope auxilioue ſuo iuuerint, & qui plane cum telo, vel vt lex loquitur, cum *ſagittis* adfuerint, definiunt. Itaque valde alienum ab hac ſanctione videtur, quod in hoc §. III. *ſagittas* Eccardus accipiat pro *nauibus.* Tametſi enim non minus certum, quam ex indicio Gloſſarii Cangiani notum eſt, *Sagittarum* nomen nauigiis quibusdam, praeſertim maioribus & armatis, datum eſſe; quid tamen nulla neceſſitate vrgente rumperemus coniecturarum aggeres, & ſiccam domum, qualem omnino lex habet, aquis, neſcio

(u) HVG. GROT. Index nom. propr. in hiſt. Goth. p. 586.

vnde immiſſis, adiremus velo. Perquam frigidum videtur, quod addit Eccardus: *Conieceris hanc legem ad magnum flumen, qualis Rhenus latam fuiſſe.* Ne riuulus quidem eſt in lege, ſed domus, ad quam ſicco pede mees ac remees. Et quid, obſecro, rapiendae vnius puellae cauſſa, plures & magnae naues inſtruendae fuiſſent, cum vix Helenae raptus plures, quam vnam, popoſciſſet ratem. Ita coërceamus deſultoriam coniecturarum luxuriam in illo, quod lex habet, *limine*, ſagittasque adhibitas explicemus tela, & raptam *ex caſa* dicamus *Authuſiam.*

Ita neceſſe erit Eccardianam *Authalam*, vel vt paullo aliter hoc loco legi iubet, *Authilmagd* iterum repudiare. Nollem tam magnam vim in mutanda lectione adhibere, ſi lucrum inde facerem tam exiguum. Quid enim, ſi vel dones Eccardo nimiam diſcrepantiam literarum & ſyllabarum *Authumiae* & *Authilmagd*, quid, inquam, conſequeremur, quam laxum & vagum nomen *ingenua puella*, quod legibus omnibus adſcribi poteſt, quae quicquam de cauſſis ad ingenuas virgines ſpectantibus continent. Non faceret haec Gloſſa officium ſuum, neque quod *de raptu ex caſa* cautum ſit hoc capite, ignaros doceret. Et quamuis hoc vnum argumentum ſufficere poſſit, vt *Authalam* illam res ſuas ſibi habere iubeamus, tamen aliam adhuc, quae me vrget, dubitationem

nem reticere non poſſum. Difficulter ſubſcriberem illis, qui *puellam ingenuam* apud Francos Salios *Authalam* dici contendunt. Non quod neſciam *adel* aeque *ingenuitatem* ſignificare, ac *nobilitatem*, aut multis nominibus propriis feminarum hanc vocem contineri; quis enim *Adelas*, *Adelheidas*, *Adelinas*, & infinita, quae redeunt eodem, nomina ignorat, quorum locupletiſſimum, vt ſolet, catalogum Barthius texuit. (x) Sed quod in vniuerſum *authala* ſit ingenua puella, quis non ambigeret, vbi ſecum reputauerit, vocem eam ab *od* vel *audt* i. e. poſſeſſio deſcendere, & ipſo Eccardo interprete *authelmann* eſſe poſſeſſorem fundi, apud Francos vero Salios feminis nullam datam eſſe terrae poſſeſſionem, adeoque nec nomen, quod inde deduceretur, dari potuiſſe. Nam qui vel cetera omnia Legis Salicae capita neſcit, hoc vnum celeberrimum ignorare nequit: DE TERRA VERO SALICA IN MVLIEREM NVLLA PORTIO HEREDITATIS TRANSIT. (y)

(x) BARTH. ad Guil. Briton. Lib. I. Philipp. v. 510. p. 64. ſeqq.

(y) Lex Sal. Tit LXII. §. VI.

CAPVT II.

Vindicatur & exponitur vox FOCICHALTA *in Leg. Sal. Tit. II. §. VII.*

Aegre reuoco lectores meos iterum ad haram. Sed adeo prolixe egit de furtis porcorum Lex Salica Titulo II. adeoque multae ſunt in eo vocum Malbergicarum figurae & in easdem Eccardi auſus, vt de talibus interpretamentis librum componere poſſes. Sed parcam inpoſterum lectoribus, & de ſordido grege nihil amplius addam, ſi mihi donauerint vnum hoc caput ad Tit. II. §. VII. cuius accipe verba:

> *Si quis ſcrovam cum porcellis furauerit,* MALB. FOCICHALTA *in DCC. denar. qui faciunt ſolidos XVII. culpabilis iudicetur.*

Eccardus legi iubet, *Folcichalta* vel *Folcchalta* i. e. pretium populi vel gregis; ſolere enim dici *ein Volck Rebhüner*; & cum hoc capite furtum eius coërceatur, qui ſuem vna cum porcellis abſtulerit, probabile videri, quod & hic vocabulum *Volck* ad exprimendum gregem adhibitum ſit, vel vt addit: *die alten mit den jungen.* Hoc nimirum eſt ſapere, & non minus codicum lectionem, quam linguae leges & genium reuereri.

Quae-

Quaero igitur ante omnia, quis Germanorum vnquam audiuerit, *ein Volck Schweine*. Nam de auibus ſcio dici, certe de quibusdam alitum ſpeciebus, nec illud noſtra tantum lingua, verum & pluribus aliis. Sic Aratus φῦλα κολοιῶν, ſic Virgilius dixit (a)

CORVORVM *increpuit denſis* EXERCITVS *alis.*

Sic Claudianus, ſic alii, vt prolixius demonſtrare putidum foret, multi. De quadrupedibus quibusdam, & praeſertim de feris beſtiis, quae gregatim eunt, vt ſunt *agmina ceruorum*, ſimili verborum figura ludi, non ſum ignarus; de ſuibus vero, certe in lingua noſtra, ſi quis vtatur vocabulo *Volck*, quin parum abſit ab ἀκυρολογία, quantum ſermonis noſtri peritia valeo, vix dubitauerim. Illud vnum forte ad colorem aliquem inducendum facere poſſet, qua nonnulli Anglorum *Flock* i. e. grex, deducunt a noſtro *Volck*, (b) quamuis plus habeat dubii, ac ego paucis poſſem ediſſerere. Praeterea, qui hac vel ſimili coniectura vellet vti, eum, opinor, prius demonſtrare oporteret, iam ab antiquis Francis hanc dictionis figuram, quando de beſtiis loquuntur, adhibitam eſſe. Multa ſunt

(a) VIRGIL. Georg. I. 382.

(b) LEIBNIT. Collect. etymol. in Archaeol. Teuton. p. 32.

rei venaticae vocabula, velut illud *ein Volck Rebhüner*, quae recentius aeuum excogitauit, aut translatione quadam in vſum ſuum deflexit. Ea vero in priſcis Francorum linguis quaerere, & vocibus Malbergicis interſerere, quis, niſi operam luſurus, poſſet? Ac ſi demum omnia ſe recte haberent, hoc vnum, quod negari nequit, grauiſſime obſtaret, *populum* vel *turbam* de ſuibus dici non aliter poſſe, quam de vniuerſo *grege*. Atqui lex noſtra non de grege cauet, ſed de paucis quibusdam porcellis lactentibus, qui cum ſcrofa circumcurſitant. Quis eorum paucitatem eiusmodi nomine ridicule magnifico appellaret, niſi forte ridere velit, vt voluiſſe videtur Tertullianus (c) in his verbis: *Inuenitur etiam in iure ciuili Graeca quaedam quinionem enixa filiorum ſemel omnium mater, vnici foetus parens multiplex, vnici vteri puerpera numeroſa, quae tot ſtipata corporibus, paene dixerim* POPVLO, *ſextum ipſa corpus fuit.* Sed vt nemo ſerio dicendi genere ſobolem quantumuis numeroſam dixerit *populum*, ita Francos porcellis ſcrofae quantumuis foecundae nomen ſimile dediſſe, non amplius, opinor, opus habebit refutatione.

De *Focichaltae* igitur veriore interpretatione mihi meditanti, non potuit non incidere *Focagium*

(c) TERTVLLIAN. de anima cap. VI.

cagium, quod in iure Scotico repereram. Extat in *legibus Foreſtarum*, quas inter alias Skenaeus edidit, (d) & quamuis haud ignorem, diuerſam vtriusque vocis ſignificationem eſſe, manat tamen vtraque ex eodem fonte, veriorisque originis inquiſitio reddetur hac via facilior. *Focagium*, vel *Fogagium* eſt pecunia, quae pro gramine ſoluitur, ſi pecudes in ſyluas ſaltusque regis ad depaſcendum mittuntur a feſto omnium ſanctorum, vsque ad feſtum S. Petri in Quadrageſima. Vnde ſit ea vox, Cangius, quamuis in Gloſſarium ſuum retulerit, non indicauit, eſt tamen ſine dubio ab antiquo noſtrisque ſaeculis non ignoto vocabulo *foden*, paſcere, nutrire, vnde *fudſel* alimonia, ipſumque *fett*, bene paſtus & ſaginatus. (e) Hinc *Foſeda*, vel *Foſta*, priſcum noſtratium numen, vbertatis dator, quod non aliter, quam cum ſignis foecunditatis, pingi & efformari conſueuit. (f) Hinc *Vaſel-Vieh* pecus, quod alitur, hinc, quod eſt in Gloſſis Monſeenſibus *Vaſel-Chalb*, vitulus paſcualis. Forte hominem *vitulantem* & moribus parum compoſitis ridiculum noſtrates inde dixerunt *Vaſel-Hans*. Ita certe malo, quam quod Wachterus ex Graeca pe-

(d) SKENAEVS reg. Maj. Scot. P. II. p. 20. Leg. Foreſt. cap. 16.

(e) WACHTER. in v. Foeden. nutrire.

(f) HEIMR. Nord Freſ. Chron. p. 49.

penu originis loco adtulit *Φάζειν*, loqui, vel fari. Atque ſic forte non multum habebit dubii, quin pecunia pro paſcuorum & graminis vſu ſoluenda, *Focagium* dictum ſit a noſtro *foden* & *foeden*.

Foden non ſolum eſt alere cibis, vel gramine, vel quibuscunque dapibus, quas natura animalia capere docuit, ſed etiam lactare, & vberibus matris nutrire. Sic *Foſtermoder* olim dicebatur *nutrix*, & *ὁμογάλακτος* ſeu collactaneus *Foſterbruder*. (g) Immo & gignere, vel parere veteres dicebant *foden*, vnde *fud* matrix, & alia, quae prolixe Wachterus. (h) Iam cum in lege noſtra ſint porcelli, foetus vnius ſcrofae, lactentes, & matris vberibus adhaerentes, & eorum furtum, vel potius eo nomine ſoluenda mulcta dicatur *focichalt*, quaero, vtrum commodius ſit ad eam, quam modo deſcripſi, originem deſcendere, an cum Eccardo lectione mutata *folcichalt* reſcribere, populumque perquam inopportune ciere. *Focichalt* igitur eſt mulcta furis, qui ſcrofam cum *foetibus* aut porcellis *lactentibus* abſtulit. In voce *Foci* latet vterque ſignificatus; nam quod *chalt* mulcta ſit, vel pecunia, monere ſuperuacuum puto.

Longe

(g) STEPHAN. ad Sax. Grammat. p. 99.

(h) WACHTER Gloſſ. v. Foden, parere.

Longe adhuc intolerabilius facinus in hoc *de furtis porcorum* titulo commisit Eccardus, quando notissimum auribus nostris vocabulum *Sparverck*, tametsi nullo Salicae Legis codice contineatur, & Glossarum Malbergicarum auctor forte ne quidem illud somniauerit, coniecturis suis intrudit, nec semel tantum, sed bis aut ter. Aiunt subulci, porcorum bonitatem secundum partuum periodos differre, nec ita probari eos, qui primo, quam qui secundo vel tertio partu prodierunt. Hoc Salicae Legis conditoribus non ignoratum erat, qui diligenter etiam in mulctae quantitate distinxerunt furtum porcorum *de prima rhamne*, vel *de secunda*, vel *de tertia*, Tit. II. §. 1. & 2. Vndecunque sit illa vox *rhamne*, siue enim a nostro *rennen*, coire, siue a *rhan*, quo lac significatur, siue demum ex alio quocunque deriues fonte, perinde nobis erit, modo concedatur, quod negari nequit, porcos de prima, secunda & tertia *rhamne*, esse diuersorum & succedentium sibi inuicem porcinorum partuum foetus. Ab hac voce natum est nomen mulctae *rhannechald*, siue pecunia, secundum qualitatem porcorum diuersi partus, modo maioris summae, modo leuioris, soluenda & hoc nihil habet absurdi, neque contorti. Dicitur eadem etiam *Lerechalā*, quod, vnde sit, non facile definiuerim. Schilteri enim explicatio, quod veniat a *leer*, vacuus, nempe quia

fusb

fuſo partu vacuus fieret vterus, nondum a me potuit impetrare adſenſum. Si addere liceret vnicum apicem, vt *Lenechald* legeretur, dicerem eſſe a voce *Leen*, quae noſtro etiam vſu ſignificat, *ſcrofam*. (i) Vndecunque ſit, (nihil enim definio) ferendum ſane non eſt, & prope patientiam lectoris ſuperat, quando celebris ille noſter interpres vtramque gloſſam *Rhannechald* & *Lerechald* conglutinat in vnam, & in vtraque voce literam mutat non vnam, & ita portentoſo coniecturae conatu legit *Spanneverckchald*. Nam niſi hoc ſit lectorem ludere, quid audere nefas eſſet? Prolixam habet hac de re philoſophiam, ſed quae redit ad duo capita, rudes fuiſſe librarios, & ita ſibi reſtituendum videri; quae ſi ſufficiunt, eia! liberi ſumus a iugo regularum Criticarum. Et tamen eum tam parum poenitet coniecturae ſuae, vt hoc *Spanverckchald* etiam in Tit. II. §. II. & §. IV. intrudat, & hac violentia in primam omnium Gloſſarum Malbergicarum commiſſa non bonum de ſe det augurium in ipſo limine. Quin ita mecum omnes, qui eius Commentarios ad hunc locum legerint, iudicaturi ſint, non ambigo; vel quicquid etiam aliter iudicent, ego certe cum tali iusculo nollem quisquam

Lacte mero paſtum pigrae mihi matris alumnum
Ponat. (k) Vide-

(i) WACHTER. Gloſſar. v. Leen.

(k) MARTIAL. Lib. XIII. Epigr. 41.

Videant etiam, quibus eſt ſuffragii ius, mitiusne an ſeuerius excipere debeamus in eodem argumento ſuillo coniecturam Eccardi aliam. Continetur lege Salica Tit. XXVII. §. I.

Si quis tintinnum de porcina aliena furauerit; MALB. AVRAPPO. *DC. den. qui faciunt ſolid. XV. culpabilis iudicetur.*

Ad quam gloſſam *Aurappo* Noſter: *Mire*, inquit, *corrupta vox & reſtituendum* SAVCLOGGO, *ſiue* SAVKLOCKE. Mallem hoc ipſum tintinnabulum audire, quam talem emendationem. *Aurappo* reſtituit *Saugloggo*; quis vmquam indecentius? Quidni tu potius minimum aliquanto maiore literarum ſimilitudine *Sauclappo*, a pulſando *klappen* & *klopfel?* Quidni potius *Saudrappo?* Eſt enim *drappo* ex vſu linguarum veterum *ornatus*, vnde noſtrum *trefflich*, quo pulcrum & egregium exprimimus. (l) Nam & apud Trimalchionem *tres albi* SVES *in triclinium adducebantur capiſtris &* TINTINNABVLIS CVLTI, (m) & in vniuerſum ſues & aſinos & beſtias alias his argutis campanulis ornari conſueuiſſe, peruulgatum eſt. Aut quidni potius *Sauroppo* a vetuſto *ropjan*, *ropan*, i. e. vocare deduceremus, quia campanula interdum grex ducitur & vocatur, & ad eius ſonum

Glam-

(l) SERENII diction. Anglo-Sueth. v. Drap in notis.

(m) PETRON. Satyr. Cap. XLVII. p. 239.

Glande ſues laeti redeunt. (n)

Aut quidni demum ſcrutemur in antiqua & obſcura voce *applare*, quam Papias explicat *clocam, campanam*, (o) an forte in ea lateat illud *appo* & *Aurappo*. His omnibus coniecturis, ſi quis ſerio vti vellet, nihil aliud forte conſequeretur, quam vt rideatur. Et tamen ſunt omnes, ſi literas computes, Eccardiana mitiores. Vnum igitur ſupereſt remedium. Quidni fateamur, neſcire nos, vnde ſit illud *Aurappo?* neque enim video, cur magis pudeat vnius aut alterius vocis origines ignorare, quam graſſari. Non perdit ceteroquin bonus venator hanc laudem ſuam, ſi vel non omnes feras indagauerit, neque bonus interpres, ſi ſe nihil videre quandoque confiteatur. Confiteamur nos ergo idem, & illud horribile myſterium, cur *Aurappo* dicatur tintinnabulum porci, tantum abeſt, vt cuiquam, ſi detexerit, inuideamus, vt ei potius plauſus ob illud meritum precemur tam ſonoros, ac ſunt tintinnabula in regum curia.

(n) VIRGIL. Georg. II. 520.

(o) CANG. Gloſſar. in v. applare.

CAPVT

CAPVT III.

Expenduntur iterum aliquot Gloſſae Malbergi, quae Lege Salica Tit. XXXII. continentur, & digitorum mutilationes ſignificant, vt ALATHAM BRIORODERO *ſ. IV.* REPPHANO *ſ. VI.* ELECHANO *ſ. VII.*

Quandoquidem leges ipſius reipublicae naturam & indolem ſequuntur, & qualia quibusque vel locis vel temporibus vitia praeſertim graſſata ſint, ſanctionibus ſuis produnt, nemini mirum videri poteſt, quod in iuribus recentioribus, poſtquam ſeuerior diſciplina ferociam priſcam deterſit, non adeo multis verbis de vulneribus caueri ſoleat, cum contra in antiquis ob magnam illarum digladiationum frequentiam plena ſint omnia vulnerum & cicatricum. Ac ſi diſceſſeris a furtis, vereor, vt vlla oſtendi poſſit tractatio, in qua tam anxie ac minutatim omnia perſequuti ſint veteres legislatores, qui vt aliàs vbiuis, quaſi de iudicum ſuorum prudentia & bene conſtituendo arbitrio deſperarent, definire vel minimas ſpecies etiam quoad vulnera voluerunt. Sic a grauibus & periculoſis plagis ad cutis vel leuiter ſtrictae laeſionem deſcendunt, & omnia corporis non dicam membra ſed articulos propoſitis mulctis tuentur, & ſic etiam ſingulos digitos. In

Lege Salica Tit. XXXII. mulctae, quae ad hanc rem ſpectant, continentur, & in plerisque duas vulnerum ſpecies diſtingui animaduertes, quarum altera *capulando* fit, altera *excutiendo*, ita vt illud dicatur plerumque, ſi membrum inciſum & paene ſolutum a corpore, hoc ſi prorſus abſciſſum fuerit, cum tamen aliàs illi, quibus non prorſus infuſcatum eſt barbarie dicendi genus, *eiicere* & *excutere* de illis membris dicere ſoleant, quae tantum luxata & ex naturae ſitu mota ſunt. (a) Plenam abſciſſionem, vel, vt cum lege loquar, *excuſſionem* Gloſſarum Malbergicarum auctor exprimit Germanica voce *Alach*, *Alah* & *Aslah*, quam Eccardus recte, ſi quid video, interpretatur, ac eſſet *Aslah* vel *aslahn*. Itaque quando mulcta pollicis abſciſſi definitur, Gloſſator adſcripſit ALACH THAN. Nempe THAN pollex eſt, quem nunc dicimus *Daum*. Cuius vocis originem velut in tranſitu quaerere licebit, cum adeo lateat in obſcuro, vt etiam optimus interpres linguae noſtrae Wachterus ad Graecam vocem διμερὴς i. e. bipartitus vel bimembris, confugiendum ſibi eſſe duxerit, nempe quia pollex duorum membrorum eſt, cum digiti ceteri ſint trium. Ego, qui linguae noſtrae voces innumeras cum Graecis magnam habere ſimilitudi-

(a) vid. SCHEFFER. ad Iulii Obſequ. lib. de prodigiis cap. LXXXVI.

tudinem noui, vbicunque tamen datur, praetulerim origines domeſticas, certe ſi ſimilitudo non ſit ſpecioſior, quam illa *Daum* & *διμερής*. Peruulgatum autem eſt, in noſtra & plerisque linguis aliis nomina dari digitis ex officio, quod quisque praeſtat. Sic *indicem* habemus & *ſagittarium*, ſic *medicum*, ſic *annularem* & ita porro. Pollicis, vt varius vſus, ita praeſertim ille fuit, quod eum premendo vel vertendo iudicium noſtrum ſignificare ſoleamus, ſiue laudare aliquem animus ſit, ſiue condemnare. Hoc ex vtraque lingua Graeca & Latina demonſtrarunt Politianus (b) & Turnebus; (c) & quem latet illud peruulgatum, *vtroque pollice aliquid probare?* quem ille Romanorum mos, quo in ſpectaculis, ſi gladiatorem victum etiam iugulari volebant, pollice verſo id indicabant, vt de Veſtalium virginum atrocitate Prudentius queritur, quod iacentis gladiatoris pectus

Virgo modeſta iubet CONVERSO POLLICE *rumpi.*

Itaque *condemnare*, *abſoluere*, *laudare*, & quod haec omnia complectitur, *iudicare*, pollicis eſt. *Dom*, *Doam* & *Duom* noſtratibus olim *iudicium* erat, vt alibi demonſtra-

 ui,

(b) ANGEL. POLITIAN. Miſcell. cap. 24.

(c) ADRIAN. TVRNEB. aduerſar. Lib. XI. Cap. VI.

ui, (d) *dammen* iudicare, (e) *verdammen*, nunc etiam condemnare. Quidni *Daum*, illum digitum *iudicem*, citius inde deduceremus, quam a Graeco δίμερης. Talia dum diſputo, memini loci cuiusdam Iurium prouincialium Saxonici (f) & Alemannici, (g) quo illi, qui bonorum mobilium alienationem meditatur, ſolemnitas quaedam ad demonſtrandas vegeti adhuc corporis vires excogitata praeſcribitur, vt gladium accingat, & clypeum brachio geſtet, & equum aſcendat *von eime ſteine oder ſtocke einer* DVM ELNE *hoch*. Quid ſit *Dumelle*, varie explicari video, ita tamen, vt neque gloſſatoris ſententiam, *einer halben Spannen hoch*, neque Codicis Vffenbachiani interpolationem: *Ein dumelen iſt, das man den dumen vor dye elen ſetzen ſol*, ſequerer; ſed potius *vlnam legitimam* vel *iudicialem*, a noſtro *duom*, dictam eſſe putarem. Nam ob menſurarum & ponderum varietatem falſorumque metum multis locis, vbi iudicia coguntur, pes & pondo legitima & in iudiciis probata publice affiguntur. Quicquid hac de re ſit, quin pollicis nomen *Daum* a iudicando veniat, parum aut nihil dubii ſupereſſe crederem. Immo ex ſimili fonte Latinum *pollex* deriuaremus, ſi ſequi

(d) Diſſ. de iudic. Germ. priu. §. 11.
(e) WACHTER in hac v.
(f) Lib. art. 52.
(g) Cap. 42.

qui placeret Petrum Texelium, qui plane ab Hebraico פלל *pillel*, *iudicauit*, quicquid ex variis linguis aliquam habet huius ſoni ſimilitudinem, vt noſtrum etiam *billig*, Anglorum *pillorie*, Graecorum Απολλὼν, Latinorum *appellare*, imo & *ſupplicare* &c. arceſſit. (h) Sed vir ille cetera non indoctus in coniecturis etymologicis quandoque non ſomniat, ſed enthuſiasmo corripitur. Haec de pollice ſufficiant, quem, cum de ceteris digitis diſputaturi ſimus, omittere vetuit primi honos.

De ſecundo cauet Lex noſtra Salica eodem Tit. XXXII. §. IV.

> *Si ſecundum digitum, quo ſagittatur, excuſſerit*, MALB. ALATHAM BRIORODERO. *M CCCC. den. qui faciunt ſolid. XXV, culpabilis iudicetur.*

Hanc Malbergi vocem valde, vt ipſe fateor, obſcuram ita reſtituit Eccardus: *Aslah tana Bogozogero.* Ignoſcant Salegaſti Manes tam effreni licentiae! Non ita tendit arcum Apollo, nec ita tendit, qui quamcunque metam ferire diſcupit. Videamus tamen ſententiam viri. *Ala* vel, vt alibi legitur, *Aslah* ipſum eſſe putat *excutere*, in quo me habet conſentientem, vt modo dixi, niſi forſan hoc loco ſine omni mutatione illud *Ala* malis explicare *totum*,

(h) PETR. TEXELII Lib. I. Cap. V. p. 19. Phoenix viſus & auditus

tum, *all*, veluti pluribus occurrit capitibus aliis. Neque ineptum hoc foret, cum a capulatione, quae membrum non totum tollit, ſemper *excuſſio* ſeparetur, quae quicquid eius eſt aufert. Deinde ait Eccardus, digitum ſecundum in ipſa Lege dici *ſagittarium*, cui nomini reſpondere oporteat Gloſſam; quod & ego lubens admitto, ſi poteſt ſine vi obtineri, vt ſane poteſt ea via, quam mox indicabimus. Sed quam inſiſtit Eccardus, quis non dixerit confragoſam, cum *Briorodero* mutandum ſit in *Bogozogero*. Aſt in Gloſſariis vetuſtis digitus ſecundus appellatur *zougere*, ut iterum contendit Eccardus. Quidni faterer? modo nolit ille Noſter hoc ſuum *zougere* ab arcu tendendo, & a communi voce *ziben* deriuare. Nam eſt ſine dubio a *zeigen*, vel indicare, vnde nobis ad huc digitus ſecundus dicitur *der Zeigefinger*. Sic illud, quod Eccardus ipſe in Commentariis Franciae orientalis edidit, Gloſſarium Romano-Theotiſcum (i) *zeigari* vertit *Index*. Imo ſi vel ab arcu tendendo veniat *zougere*, fateamur, exemplo graue fore, ſi vocem, quamuis per ſe non ineptam, intrudamus contra omnem codicum fidem. Sic etiam *Brio* flectas & reflectas ſecundum omnes ſcripturae formas, Eccardianum *Bogo* non exibit. Relinquamus igitur hunc

(i) ECCARD. Franc. Orient. Tom. I. p. 854.

hunc arcum eneruem ſuae, & vt ſaepius vidimus, non ſemper felici officinae.

Fallor tamen, an explicatio huius loci Schilteriana, quamuis in lectione parum aut nihil mutet, longe adhuc eſt incredibilior. Nam vt *Briorodero* illud interpretetur, *Brio* eſſe putat *litteras*, quae nobis dicuntur *Brieff*, *rodero* autem eſſe *rotare*, vel chartam inuoluere, vnde *rotarii* ſcriptores, *rodel* vero *rotula* vel *charta*. Et ne quid deſit huic philoſophiae, ſuperaddit, hunc ſecundum digitum in textu legis Latino dici *ſagittarium*, in Gloſſa Malbergica *chartae rotatorem*, vt vtrumque officium eius belli & pacis exprimeretur; nam in bello eius vſum eſſe ad arcum tendendum, in pace ad inuoluendas chartas. (k) Ego Schilteri nomen adeo veneror, vt aegre dicam, nihil ad refutationem talium interpretamentorum opus eſſe, praeter eorundem commemorationem. Quis *brio* Francis dictas eſſe *literas* vllibi legit? quis noſtram, aut gentem vllam indici digito nomen ab inuoluendis chartis impoſuiſſe audiuit? aut, quod adhuc potentius quaeri poteſt, quis vmquam vel hoc digito ſolo, vel hoc potiſſimum, chartam rotauit! Nollem igitur hunc digitum *belli* & *pacis* Schilterianum

(k) SCHILTER. Gloſſar. p. 131.

& quando apud viros magnos talia lego, tunc idem mihi accidit, quod olim Romanis quibusdam, qui erubescebant ipsi, cum Catonem deprehenderent ebrium.

Post adeo insignes interpretes, quem puderet in huius aenigmatis solutione labi? Committamus igitur & nostram huic periculo cymbam, & varios, vt aliàs, enauigandi modos quaeramus, & vbi primum aliquantisper luserimus, insistamus remis; de portu, & quam feliciter eum attigisse datum fuerit, lectoris iudicium esto. Verba, quorum nodos oportet soluere, sunt ALATHAM BRIORODERO. De *Ala* nihil amplius addam; siue enim nobiscum explices *All* totum, siue cum Eccardo corrigas *Aslah* excutere, nihil hoc quidem faciet ad ceterorum explicationem. Succedit igitur *Tham*, quod supra vidimus pollicem esse, vel vt nunc efferimus *Daum*. Ast legis caput, ad quod disputamus, de secundo digito, non de primo, de indicis, non de pollicis excussione praecipit. Oportet igitur aliquid latere in repetitione ceteroquin intempestiua vocabuli *Tham*. Hic, priusquam progrediar, velim obseruetur, in pluribus linguis, Latina etiam, duo corporis humani membra, quae vel multum habent similitudinis, & plane gemina sunt, vel simul officium suum faciunt, nec sine vitio magno separari possunt, *fratrum* & *soro-*

sororum nomine cenſeri. Ita Plautus in Poenulo (l)

hanc per dextram,
Perque hanc SOROREM *laeuam;*

ad quem locum omnino conſulenda ſunt, quae commentantur viri docti. Sic in *Frivolariae* fragmentis apud eundem (m):

tunc papillae primitus
FRATERCVLABANT: *illud volui dicere,*
SORORIABANT;

Similiter Graecis ἀδελφαὶ ſunt ὅμοια, ἀρμόζοντα, vt ad Petronium Cuperus exemplis docet. (n) Sed exuberantis eſſet operae, illam dicendi figuram ex plurium linguarum penu multis argumentis depromere. Sunt enim tropi quidam adeo faciles & ante pedes poſiti, vt eas natura docuiſſe, ſermonibusque omnibus impreſſiſſe quodammodo videatur. Vt igitur ad Salicum noſtrum nodum redeamus, Gloſſator *indicem* digitum deſcripturus addidit nomen pollicis *Tham*, certiſſimo argumento, eum in deſignando huius digiti nomine reſpexiſſe ad cognationem eius, arctumque nexum, quem habet cum pollice.

(l) PLAVT. Poenul. Act. I. Sc. III. v. 9.

(m) p. m. 1471. conf. GATAK. Aduerſar. Lib. II. Cap. III. p. 281.

(n) CVPER. ad Petron. Satyr. Cap. 84.

Quare ſi mihi ex verbis *Tham Briorodero* vnicam ſyllabam *ro* demere liceat (erit hoc autem, ſi cum Eccardiano *Bogozogero* compares, modeſtiae potius, quam violentiae ſpecimen) ſupererit *Tham Briodero* i. e. frater pollicis, quo nomine neſcio quale ſecundo digito dari poſſit aptius. Siue enim propinquitatem, ſiue coniunctionem facilem, ſiue innumera, quae duo illi digiti ſimul exequuntur, officia ſpectes, cur prae ceteris *fratrum* nomine inſigniri nequeant, cauſſam video vix vllam. Hinc & in aliis iuribus *digitus index* non proprium nomen, vt omnes ceteri, ſed a pollice adſcitum ſortitur. Sic enim in Lege Guilielmi Conqueſtoris, (o) *Del dei apres le polcier XV. ſoltz*, i. e. pro digito qui pollici proximus XV. ſolidos. Inde etiam factum eſt, vt in Lege Salica, cum ceterorum digitorum longe minus eſſet pretium, pollicis autem maximum, huic *indici* tantum ſtatueretur, vt prope pollicis exaequet. De vocis *Briodero* figura neminem vrgebit dubium, qui lingua Francorum veterum eam quoque *Bruoder* & *priadere*, vt eſt in Gloſſis Keronis, pronunciatam fuiſſe legerit. (p) Vnicam ſyllabam *ro*, quae ſimilitudine proximarum literarum irrepſiſſe potuit, ſublaam eſſe, male, opinor, accipient aut duo, aut nemo

(o) WILKINS Leg. Anglo-Saxon. p. 221.

(p) v. WACHTER. Gloſſar. in v. Bruder.

nemo; certe non illi, qui cogitauerint, in Legis Salicae Gloſſis ſcriptum eſſe interdum *Landoveva*, cum aperte ſcribendum ſit *Landeva*, ſiue *lex terrae*, ſimili plane ſimilium literarum repetitione. Si quis autem eo nomine coniecturam noſtram reprehendat, quod verbis non propriis ſed translatis digiti ſecundi nomen exprimat, is velim memor ſit, omnibus prope linguis elogia digitorum certis figuris & interdum magis e longinquo, quam haec noſtra de fratre, petitis inuoluta eſſe.

Geramus tamen moroſis morem, & ſenſum illius THAMBRIODERO velut repetita praelectione inueſtigemus veriorem. Digitus index, de quo loquimur, in verbis Legis Salicae dicitur *ſagittarius*, velut etiam in Anglo-Saxonicis regis Aethelberti, (q) & in Aelfrici Gloſſario (r) *Scyte-finger*. Ita quamuis Eccardi *Bogozogero* ob vim apertam tolerari non poſſit, praeſtaret tamen, ſi ſine literarum mutatione magna liceret, etiam ex Gloſſa Malbergica telum & arcum eruiſſe. Ac parum abeſt, quin illum ſagittarium digitum ſine vi reperiſſe mihi blandiar. *Thamb* enim in veteri Scythica Scandicaque lingua eſt arcus, & quicquid incuruatur. Ita ſane legimus apud Verelium & Leibnitium. (s) Nec poteſt

(q) WILKINS Leges Anglo-Saxon. p. 5.
(r) edit. SOMNERI p. 71.
(s) VEREL. Ind. LEIBNIT. Collect. Etymol. in Gloſſ. Chauc. p. 41.

eſt prima nominum *arcus* origo melius aliunde deduci, quam a populis, qui eo gaudebant maxime, Scythicis. Hinc Wachterus optime repetiit vocem *Dam-Hirſch*, quod rupicapra cornua gerit arcus inſtar recurua. Fuerunt, qui noſtrum *Damm*, agger, ab eodem *Tham* deducerent, quod incuruetur ſaepe, ſi ſinuoſis anfractibus flumina voluuntur. Sed huic voci origines commodiores aſſignauerunt alii; nobis certe ſufficiet THAMB eſſe arcum.

Quid *riodero* vel, vt communiter legitur, *riorodero* ſit, forte difficilius diceretur. Sed memini veteris cantilenae, cuius partem in Commentariis ad Saxonem Grammaticum Stephanius (t) adtulit, in qua ſunt haec verba:

Hrytur bog huita i. e.
Emittit iacula.

Quare *ryturo* nomen iaculantis eſſe putauerim, velut *rythor* & *crythor* aliis originis Germanicae gentibus dicitur ille, qui fides tendit. (u) Ergo, quod ille, qui neruum in arcu tendit, digitus *ridero*, & vt amant Franci literae O interpoſitionem (ſic enim *Ruoder* pro *ruder*, *ruote* pro *ruthe*, *ruowon* pro *ruhen*, *ruoren* pro *rüren* (x) efferunt) *riodero* dictus fuerit,

(t) STEPHAN. not. in Rotta. Saxon. Gr. Lib. II. p. 70.
(u) WACHTER. in v.
(x) v. SCHILT. Gloſſar. p. 693.

rit, adeo vt addito *Thamb* arcus, *Thambriodero* ſit arcum tendens, vel ſagittarius digitus, neſcio an mihi, vt blandiuntur inuenta inuentori, plus veroſimilitudinis habere videatur, quam reapſe habet, vel illis, qui legerint, habere videbitur.

Si cui propitius Apollo commodiorem adhuc explicandi viam monſtrauerit, cur inuiderem ego? Aut ſi quis noſtrae praeferat Eccardianam vel Schilterianam, quidni ego adhuc minus inuiderem, & mirarer magis. Hoc vnum addo, non incredibile eſſe, quod etiam Deam Germanicam veterem *Tanfanam* ab illo *Tan*, arcus, nomen manſerit. *Fana*, quod nemo ignorat, eſt domina, *Tanfana* (y) vel *arcus domina*, quae, niſi Diana? Dianam vero coluerunt Germani veteres, (z) venationis ſtudioſiſſimi. Mallem igitur, vt repetam, *Tanfanam* explicare *arcuum dominam*, quam a *Tan* i. e. ignis, *dominum ignem*, vt a Wachtero, (a) qui Pezronium ſequutus eſt, factum eſſe video. Nam ſi vel Caeſari, quem adducit, credas, Germanos ignem adoraſſe, neceſſe tamen eſt ex eius verbis numen maſculum tibi fingas, non femininum, quale omnino haberi debet *Tanfana*. Ex ordaliis, & ex probatione per ignem cultum diui-

(y) KEYSLER. Diſſ. de mulier. fatid. p. 427.
(z) ECCARD. Comment. rer. Franc. Tom. I. p. 276.
(a) WACHTER. in v. *Tan*.

diuinum igni tributum adſtruere nollem, quicquid viſum ſit Wachtero. Nam eſt haec ſuperſtitio, ni fallor, aliquanto recentior, quam vt ad veterem illam Tanfanam referri poſſit. Quod autem *Tan fana!* vel *ignis domine!* iam in communi ſacrificiorum apud Graecos formula (b) lateat:

πῦρ δέσποτα ἔσθιε.

illud ſententiae meae non multum nocebit. Non ſolum enim ignis, ſed omnium deorum dearumque fuit elogium δεσπότης, δέσποινα, vel ſimile aliquoddam. Sic δέσποιν' Ἀφροδίτη Sappho, ſic Ἥλιε δέσποτα Sophocles, ſic & Dianam meam Orpheus dixit:

Κλῦθι θεὰ ΒΑΣΙΛΕΙΑ, φαέσφορε, δῖα Σελήνη.

& vt de Germanicae originis gentibus dicam, etiam in Capitularibus legitur, (c) *quod quaedam ſceleratae mulieres nocturnis horis cum* DIANA *credant ſe equitare ſuper quasdam beſtias, ciusque iuſſionibus velut* DOMINAE *obedire.* Sed haec in tranſitu dicta ſunto. Fit enim ſaepe in rebus etymologicis, vt aura ſollicitante prouehamur altius, & ab vna voce delapſi ad ſimiles, diuergamus a prima.

De

(b) MAXIM. TYR. diſſ. XXXVIII.

(c) BALVZ. Capitul. Reg. Franc. Tom. II. p. 365.

De digito ſagittario quantum ſufficit, vel certe quantum potuimus, diſputatum eſt. Nunc age de tertio videamus. Ait Lex Tit. XXXII. §. VI.

Si quis medianum digitum excuſſerit, MALB. TAPHANO DC. *den. qui faciunt ſolidos* XV. *culpabilis iudicetur.*

Quid ſit hoc *Taphano*, vel potius vnde ſit, ignorare me fateor, & quidni faterer poſt Eccardum, qui etiam nihil hic vidit, certe ſi ſeruari debet vox, vt legitur, & vt eam expreſſit Heroldus. Sed idem Heroldus in aliis libris aliam reperit ad hoc legis caput Gloſſam *Repphano*, quae lucis aliquanto plus habet. Num autem illa prior corrigenda ſit ex poſteriore, & pro *Taphano* ſcribendum *Raphano*, quod Eccardus voluit, illud nec omnino ſequi nec refellere auſim.

Repphano igitur in quibusdam codicibus appellatur digitus medius, quem alii dicunt longiſſimum, nonnulli etiam *impudicum*, *infamem*, *verpum*, δείλον (d). Vnde ſit ea nominis infamia, quis in hac peruulgata ſalacitatum ſcientia ignorat, cum & pueri norint, quid ſibi velit ceterorum digitorum compreſſio & huius extenſio. Similem impuritatem in

(d) SALMAS. ad Capitol. Pertin. Cap. VIII. p. 553.

in hac Gloſſa latere credidit Eccardus. *Reep* enim vel *Rep* antiquis, & quibusdam nunc quoque vigentibus linguis, eſſe dicit *caudam*. Aptabit hoc nomen digito medio ſuamet quisque applicatione, quo parcatur ſcribentis verecundiae. *Rep* igitur caudam, *phano* id eſſe putat, quod aliàs dicitur *phang*, *finger*. De poſtremo, quamuis mihi parum credibile, ſed conſueta potius videatur vocum linguae Francicae multarum terminatio, nihil tamen nunc dicam, vt abſtinere ſoleo, quando mihi non multo meliora ſuccurrunt. Quod autem ad primam vocem, *rep*, attinet, nego ea ſignificari obſcoenas partes, & maſculum membrum, ſed quantum quaerendo indagaui, deſignat illa crinitam, qua beſtiae gradientes

verrunt veſtigia caudam. (e)

Hinc funis, & reſtis, & quicquid eſt ligamentorum propendentium non antiquis tantum linguis, verum etiam vſu noſtro dicitur *Reiff*. (f) Itaque fallax eſt Eccardi coniectura, luditque vel labitur potius in voce *cauda*, quam diuerſis beſtiarum membris imponere conſueuimus. Hoc certum eſt, nihil impudici latere in voce *Rep*, adeoque non eſſe, cur ea digitum impudicum indicari coniiciamus. Eſt

(e) VIRGIL. Georg. III. (f) V. WACHTER. Gloſſar. v. Reif.

Est autem illud *Rep* & noſtrum *Reif* etiam *circuli* & *annuli* nomen; vnde ligamentis vaſorum ligneis idem imponimus, haud ſecus ac digitorum ornamenta, dicere ſolemus *Finger-Reiff*. Itaque nullus dubito, quin *Rephano* veniat ab annulo, digitumque deſignet, qui annulum geſtat, quamuis aliàs nemo neſciat, annularem digitum proprie dici quartum. Sed hoc Romanorum more verum eſt, quo ceteras gentes omnes, ſi alia loquantur argumenta, metiri non oportet, praeſertim quoad annulos, in quibus ſiue manum, ſiue digitos, quibus geſtantur, ſpectes, magna eſt morum & conſuetudinum inter gentes diuerſas varietas. Diſerte Plinius (g) teſtatur, veteres Gallos & Britannos *medium digitum* annulis ornaſſe, cum ille Romanorum more ſolus eſſet, qui gemmis & auro vacaret. Qui mos priſcorum Galliae incolarum ſi tranſiit ad Francos, quid poteſt adhuc coniecturae noſtrae de digiti medii nomine ad veroſimilitudinem deeſſe.

De digito quarto, qui proximus eſt a minimo, cauet Lex Salica §. VII.

Si vero quartum digitum excuſſerit, MALB. MALEGANO *DC. den. qui faciunt ſolid. XV. culpabilis iudicetur.*

Ex alio Codice affert Heroldus Gloſſam Mal-

(g) PLIN. hiſt. nat. Lib. XXXIII. Cap. I.

Itaque ſi & Franci digitum quartum *lechano* vel *medicum* dixerunt, conſequitur, vt eo annulum quoque geſtauerint. Hunc autem modo adſeruimus digito longiſſimo. Sed hoc apud eos tantum valeret, qui Germanos nonniſi vnum annulum habere conſueuiſſe credunt, ignari, delicatum Romanorum morem, quo fere omnes articulos auro gemmisque diſtinguebant, cito tranſiiſſe ad Germanos. Tanta vero fuit olim annulorum in manibus noſtratium multitudo, vt numerum coërcere Legum ſumptuariarum auctores ad prouidentiam ſuam pertinere crediderint. Plane in quibusdam ſanctionibus de politia, vt in Francofurtana, quae prodiit a. cIↃ IↃC XXIII. nobilibus feminis, vbi minimus annulorum numerus definitur, relinqui videbis *ſex*, qui ſimul geſtari poſſint. Ita tuerer explicationem meam vocum *Lechano* & *Repphano*; & haec habui, quae dicerem de digitis.

CAPVT IV.

De vulneribus membrorum corporis nobiliorum ex Lege Salica disputatur, & cur in Glossis Malbergicis Tit. XXVII. §. XII. excussio oculi dicatur LICLAMINA *§. XIII. nasi* FRASITTO *§. XV. linguae* ALCHALTVA *§. XVI. dentis* CLANINA *& denique §. XVII. & XVIII. obscoenarum partium* WIRADARDI & ALACHARDE, *expenditur.*

Nunc ad cetera corporis membra nobiliora descendamus, in quorum vulnera mulctam Lex Salica statuit. Quae singula cum exprimantur Glossis Teutonicis, eas vero nouis vulneribus & temere secando afflixerit Eccardus, non carebit haec disputatio nostra & coniecturarum alienarum examen sua iucunditate. De oculo primum videamus; & ait Lex Tit. XXXII. §. 12.

Si quis alteri oculum tulerit. MALB. LICLAMINA. *MMD. denar. qui faciunt solid. LXXII. & dimidium culpabilis iudicetur.*

Liclamina igitur necesse est, vel excaecationem ipsam significet, vel certe oculum. Alterutrum si obtineamus, sufficit; neutrum vero se consequi posse, interpres noster Eccardus censuit, nisi violentissima correctione. Restituit enim *Stice augina.* Scilicet hoc est acutum

acutum cernere. Atque vt illud *Stice augina*, vel vt nunc loquimur, *Augen ſtechen*, ne quidem analogiae Francici ſermonis legibusque Grammatices reſpondet, ita quam valde abhorreat ab omnium Codicum ſcriptura, cur in re manifeſta multis diceremus. Age igitur, quod facto nunc opus eſt, de remediis diſpiciamus aliquanto mitioribus.

Puto me coniecturis, quas vtroque libello adtuli, niſi felicibus, certe non immodeſtis, demonſtraſſe, quod, vt nullibi alias, ita nec hoc loco mihi tantum arrogaturus ſim, quantum quaſi iure ſuo ſibi licere cenſuit Eccardus. Si tamen vnica literula paullo inflexa pro *Liclamina* legere fas eſſet *Lichamina*, ſcirem quid faciendum ſit. Tunc enim dicerem *lick*, *lyck*, *leich*, eſſe corpus, *mina* vero, vt iamiam Wachterus explicuit, (a) ſignum faciei & oris, quo agnoſceretur homo, vnde etiam, quod adhuc durat, noſtrum *Mine*. Ac fallor, an in vtriusque vocis coniunctione agnoſces oculum. Coniungitur autem vtraque vox *Lic* vel *Lich* & *mina* ſermone Francorum etiam aliàs. Sic Otfridus, quando de Iudaeis Chriſto, quod nondum annos quinquaginta natus Abrahamum ſe vidiſſe dixerit, indignantibus loquitur, ait, eos attente vultum & oris eius ſpeciem intuitos eſſe,

(a) WACHTER. Glos. ſar. v. Mine.

Sie namun thia MEINA
Thes LICHAMEN *gouma* (b)
Obſeruabant ſigna
Corporis eius curioſe,

vt recte ac melius Schiltero & Scherzio verrit Wachterus. Itaque *Lichamina* eſt ſignum corporis, ſi quid coniicio. Patiar tamen, vt in ſpongiam coniectura incubet mea, ſi aut aliud totius corporis membrum indicari poſſit, cui potius huius nominis figura conueniat, aut ſi quis bonis rationibus munitus Eccardianum *Stice augina* modeſtae vnius apicis inflexioni praeferendum eſſe demonſtrauerit. Poſſet etiam dici, poſtremam vocem *mina* eſſe a *minando*, notiſſima voce, qua Latinus etiam Legis Salicae textus interdum vtitur, quando ex bonae Latinitatis vſu *ducere* ſcripſiſſe oportuiſſet. Ita *Lichamina* eſſet *corporis dux*, appoſite iterum ſi officium oculi conſideres. Nam non ſolum

OCVLI *ſunt in amore* DVCES (c)

ſed & aliàs ſexcenties, quod probare putidum foret, *oculis nos duci* legeris. Sic etiam Itali ſuum *guida* & *guidatore* i. e. dux, a *videndo* repetunt. (d) Plane frequentes inueniuntur

(b) OTTFRID. Lib. III. Cap. XVIII. 105.
(c) PROPERT. Lib. II. Eleg. XII. v. 12.
(d) FERRAR. Origin. Ital. v. Guida.

tur dictiones figuratae ac translatae in exprimendis corporum membris. Sic *Haubt* & *Kopf* a ſummitate dicta ſunt (e) ſic *Augapfel* a rotunditate, *Nabel* a cauitate, & *Andinc*, quod olim erat *frons*, ſi viros doctos ſequaris, (f) ab *Ende*, quia pertinet ad capitis & totius hominis extremas partes. Ita mecum agito de nominibus oculorum inter Malbergicas Gloſſas reperiundis. Tu, quid tecum agitare debeas, lector, ipſe videris.

Iam de Naſo. Lex ait Tit. XXXII. §. XIII.

> *Si quis alteri naſum excuſſerit* MALB. FRASITTO *MDCCC. den. qui faciunt ſol. XLV. culpabilis iudicetur.*

Hic iterum ad detegendum, cur naſus aut naſi abſciſſio dicatur *Fraſitto*, valde opus eſt odora canum vi. Nollem excidiſſet Schiltero (g) violenta correctio *Nasnitto*, quam niſi ab eo profectam eſſe certo ſcirem, parum abeſſet, quin, quod ex illa, quam ſaepe notauimus, officina prodiiſſet, ſuſpicarer. Modeſtior hic aliquanto, num felicior, vix definiuerim, Eccardus, quando *Fraſicto* legit, vel vt ad noſtri oris figuram explicat *Vorgeſichte*. Redit tamen ad

 geni-

(e) WACHTER. in vtraque voce.

(f) SCHILTER. Gloſſar. p. 47.

(g) SCHILTER. Gloſſar. p. 323.

genium ſuum, & *naſe ſichte* reſtituit, a *naſe* & antiqua voce *ſichte*, quae ſaepius in lege Salica vulnus, vel vt legislator loquitur, *debilitatem* ſignificat. Addit huic coniecturae varia de vocis *Naſe* & *Heringsnaſe* vetuſto vſu, ſed quae plane ſunt ab hoc loco aliena. Priorem coniecturam *Fraſicto* vel *Vorgeſichte* dici *naſum*, qui quaſi promontorium eſſet faciei, ſi cetera conſpirarent, & oſtendi poſſet, *ſicto* veteribus fuiſſe vultum, tueri forſan argumentis ab Eccardo non allatis poſſem. Numquid enim mirum eſſet, naſum *faciei promontorium* vocari, quando vice verſa noſtrates terrarum promontoria dicunt *naſum*. Eleganter enim Wachterus docuit (h) Anglo-Saxonum noſtraque lingua *Naeſe* dici promontorium & terram quamuis inter duo maria procurrentem, eandemque vocis figuram plane Arabibus placuiſſe. Sic *Buſen*, *Münde*, *Rücken*, & alia membrorum humanorum nomina Geographorum vſus in rem ſuam vertit; & ſic dici poſſet, cum *promontorium* deſignetur per vocem *Naſe*, vice verſa *Naſum* appellari promontorium faciei, *Fraſicto* vel *Vorgeſicht*. Sic luderemus forte paullo inſolentius, innocenter tamen. Non enim melius appellare poſſumus etymologicos conatus, quam luſum, & eruditorum permiſſam legibus aleam. Ego, quae de *Fraſitto* ſeria dicerem,

(h) WACHTER. v. Nacs.

rem, non habeo multo meliora, nisi mihi forte permittatur, vt legerem *Frasichto*. Est enim *Sichto* vel *sichte* frequentissimum inter Glossas de vulneribus vocabulum, & ab obsoleta voce *sichen* secare, cuius superstes est vestigium in *Sichel*, falx, descendit. *Fra*, pertinet inter voculas, quae praefiguntur nominibus multis, & eodem gaudet significatu, quo nostrae linguae vsu syllaba *ver*. Sic *frawurckjan* olim dicebant *verwurcken*, (i) similiter *fraswaran*, *verswceren*; *frakunnan*, *verkennen*; *fragilda*, *vergelten*; & ad eundem modum *Frasichto*, *verschnitten*. Tunc tu forte nihil hic de naso in Glossa sic explicata reperiri obiicies, & ridicule huic capiti laxam & quodammodo vagam adscribi explicationem censebis, quasi dubitari posset, an ille, cui nasus abscissus est, recte dicatur *mutilatus*, vel, vt certo modo in lingua nostra exprimeretur, *verschnitten*. Sed quidni olim hac de re dubitari potuerit, vt prorsus eiusmodi Glossae adscriptione opus esse videretur, cum dubitatum esse non ita pridem apud Anglos nouerimus, an ad *mutilationes* pertineret, si quis alteri abscideric nasum. Refertur, (k) ausum hoc aliquando esse nonneminem, & ex Lege *de mutilatione* accusatum, hanc sui defendendi viam elegisse, quod cui

(i) WACHTER. in v. Forlegani.

(k) Lettres sur les Anglois & les François. p. 71.

naſus abſciſſus fuerit, non proprie *mutilus*, ſed tantum *deformis* factus dici poſſet. Et abſolutus eſt ille reus, ſi auctori fides eſt, quoniam in ea gente iudices verbis legum ſuperſtitioſe inhaerent, & hoc ipſarum ſanctionum conſeruandarum remedium eſſe putant, adeoque ſibi non liquere pronunciabant, num lege de mutilationibus etiam ablatio naſi contineretur. Itaque tunc nihil aliud actum eſt, quam vt noua ſanctione caueretur, poſthac pro vera mutilatione habitum iri, ſi quis alteri naſum abſciderit. Quare ſi & olim dubitatum ſit, num eiusmodi facinus pertineat ad *debilitates*, (quo nomine Legis Salicae conditores vtuntur in hoc Titulo,) tunc non ſine ratione Gloſſator illi capiti adſcripſiſſet *Fraſichte.*

De aure abſciſſa Lege cauetur. §. XIV.

Si quis auriculam alteri excuſſerit MALB. CHVNNI CLEVRA *DC. denar. qui faciunt ſol. XV. culpabilis iudicetur.*

Taedet me fere repetere, quod iterum Eccardus more ſuo violentiſſime *chunni cleura* correxerit *Aslab thaz ora.* Tale quid enim auribus vel patientiſſimis moleſtum eſt. *Eura* ſine dubio ſignificat *aurem*, & adeo late vagatum eſſe nouimus huius vocabuli vſum,

vt

vt etiam peruenerit ad Islandos. (l) Quod ad alteram partem *Chunnicl* attinet, *nescio*, inquit Eccardus, *vnde desumserit scriba miserrimus*. Ego non multo melius scio, sed cohibeo manum, neque ideo *asla thaz ora* rescribo ex hac vna caussa, quod *chunnicl* vnde sit, ignorem. Praeterea non est adeo inauditum ea vox monstrum, vt Eccardo videtur. Occurrit enim in lingua Cambrica *connicl*, vt est apud Pezronium; (m) sed cum sciam, hac voce *cuniculum* indicari, quin ab hoc loco sit aliena, nemo dubitauerit, nec ego. Si mihi tamen liceret pro CHVNNICL rescribere CHVNNI VI, tunc forte cum aliqua iudicis aequi dicerem indulgentia, esse idem ac *sexa chunni*. Haec vero verba denarios DC. vel XV. solidos significant, (n) quae ipsa est in capite, de quo agimus, expressa mulcta. Mulctam vero in Glossis Malbergicis saepenumero exprimi, iam supra dictum est in libelli nostri secundi capite primo. Sic CHVNNI VI EVRA i.e. *DC. denarii pro aure* leui mutatione procederet forte non male.

Linguam lex vindicat §. XV.

Si quis alterum lingua capolauerit, vnde

(l) ADR. RELANDI diss. de linguis Americanis p. 223.

(m) PEZRON. Antiqu. de Celtes. p. 381. conf. LOBIN. histor. Duc. Britann. in Gloss. v. Conil.

(n) Lex Salica Tit. LXXX. §. 11.

de loqui non posſit MALB. ALCHALTVA *IIII M. den. qui faciunt ſol. C. culpabilis iudicetur.*

Adſtipulor, vel certe non contradicam Eccardo in *Alchaltua* poſtremam partem *tua* vel *tuga* noſtrum *zunge* indigitare. Sed priorem nollem mutaſſet in *Aslah*, haud equidem ignarus, *Aslah* ſaepiſſime in hoc titulo legi, ſed tunc ſemper, quando prohibetur *excuſſio* membri cuiusdam. Nunc quoniam hoc capite de *capolatione* tantum agitur, ea vero, vt ſupra diximus, multum diſtat ab *excuſſione*, non ferrem, ſi quis ex qualicunque literarum ſimilitudine procurrat ad eiusmodi correctionem, dum leuior poteſt haberi, quae procederet ſine tanto literarum motu. Legerem igitur vnica tantum litera vel potius lineola inſerta commodius *Alſchaltua*, i. e. dimidia pecuniae legitimae, ſcilicet Weregeldi, pro lingua vulnerata. Eſt autem mulctae quantitas IIII M. denariorum vel centum ſolidorum, qui dimidiam Werigeldi faciunt, vt ſaepe notaui. Sic quodammodo ſimilis eſſet haec, de qua loquimur, Malbergi Gloſſa, proxime praecedenti, &, vt ſaepius aliàs, exprimeret poenam lege comprehenſam.

Nunc age, quid dentes crepent in Lege noſtra, dicamus. Ait ea §. XVI.

Si

Si quis dentem excuſſerit, MALB. *in* CLANINA *DC. den. qui faciunt ſol. XV. culpabilis iudicetur.*

Eccardum inuenies reſtituentem *Tanina*, quod eſſet noſtrum *Tan*, *Zahn*, & hoc longe fugerem, vt alia viri multa, ſi quid inciderem melius. Scio equidem vel ex ipſa Graeca voce Κλάω *frango*, vel ad eius ſimilitudinem olim aliquam, nunc obſoletam, in lingua noſtra fuiſſe, vnde adhuc noſtrum *Kleyen*, furfur, deſcendit. (o) Sic *molitoribus* illis, vt plane in literis ſacris vocantur, *dentibus* nomen haeſiſſe *Clanina*, ab illa voce *Klan* frangere, non incredibile ducerem. Vel ſi ſic mauis, dicam *lana* Celtis eſſe *liquefacere*, (p) cui reſpondet Graecum λανὸς & ληνὸς *lacus torcularis*. (q) Eſt autem *liquefacere* dentis officium, vt ipſe Quinctilianus (r) exprimit, *quod cibos* MANSOS *ac prope* LIQVEFACTOS *demittamus, quo facilius digerantur.* Hinc rem liquidam illinere maiores noſtri dicebant *Biklan* & *Inklan*, vt ex Otfrido Schilterus obſeruat. (s) Itaque cum ſupra demonſtrauerimus, plerisque corporis humani membris translata & figuris quibusdam expreſſa nomina dari conſueuiſſe, quidni vt lectio

(o) WACHTER. v. Kley.
(p) Idem. v. Lan.
(q) PEZRON. Antiqu. des Celtes. p. 348.
(r) QVINCTIL. Inſtit. orat. Lib. X. p. 1.
(s) SCHILTER. Gloſſar. p. 516.

ctio salua seruaretur, a *lana* liquefacere, & cum aspiratione Francica *clana*, dici crederemus dentem liquefaciendo nobis a natura datum *clanina*. In MSCtis Regiis Parisiensibus pro *Clanina* Schilterus (t) inuenit *chauina*, quod an sit a nostro *kauen* mandere, viderint illi, qui me vident acutius.

Habent denique in Lege nostra partes etiam obscoenae pretium suum, & magnum, vt ex vtroque, quod adeas spectat, capite cognosces. Sic enim §. XVII. & XVIII.

Si quis ingenuum castrauerit, aut virilia transcapolauerit, vnde mancus sit. MALB. WIRIDARDI *IIII M. den. qui faciunt solidos C. culpabilis iudicetur.*

Si vero ad integrum tulerit virilia, MALB. ALACHARDE *VIII M. den. qui faciunt sol. CC. culpabilis iudicetur.*

Habes, quas supra distinximus, *capulationem* & *excussionem*, vel certe discrimen iacturae membri totius aut eius partis. Tanti vero aestimatam esse apud plerasque originis Germanicae gentes membri totius ablationem, vt mulctam eius integro aequiparauerint Weregeldo, prolixe dicere possem, nisi mox alio capite de proportionibus mulctarum

(t) SCHILTER. p. 481.

rum ex ipsa indole & officiis membrorum disputare constituissem. Itaque qui *punctim* iuerat, vt alterius obscoena tantum transfoderet, vel eorum partem aufferret, dimidiam Werigeldi partem praestabat, qui *caesim* vsque ad abscissionem, soluebat totum. Illud §. XVII. hoc §. XVIII. continetur; vt adeo facere non possim cum Eccardo, qui *Viridardi*, glossam capitis XVII. interpretatur *Weregeldum*. Hac enim sanctione tantum IIIIM. denarii vel C. solidi continentur, qui dimidia eius pars sunt, adeoque Glossa recipere non potuit nomen *totius*. Et est manifesta duorum facinorum separatio *castrationis non integrae* & eius, *quae virilia tollit*, vt cum lege loquar, *ad integrum*, vnde *Viridardi*, quod ad primam speciem pertiner, nihil aliud significare potest, quam partis abscissionem vel laesionem quodammodo mediocrem. Haud equidem ignoro, *Werigeldi* vocabulum pluribus modis efferri, & *Wirigeldum*, *widrigeldum*, *wirdiram* &c. dici, ast *Viridardi* nullibi hoc sensu inueni. Nam *Werdarda*, quod Heroldus tamquam Malbergi Glossam ad Legis Salicae Tit. XXVIII. §. 3. in margine notauit, alienum est a significatu Weregeldi, & alienum esse, si quantitatem pecuniae ibi expressam intuearis, ipse cognosces. Non melius igitur haec duo Legis Salicae capita Germanice verterem, quam ipsis

Sie namun thia MEINA
Thes LICHAMEN *gouma* (b)
Obſeruabant ſigna
Corporis eius curioſe,

vt recte ac melius Schiltero & Scherzio verrit Wachterus. Itaque *Lichamina* eſt ſignum corporis, ſi quid coniicio. Patiar tamen, vt in ſpongiam coniectura incubet mea, ſi aut aliud totius corporis membrum indicari poſſit, cui potius huius nominis figura conueniat, aut ſi quis bonis rationibus munitus Eccardianum *Stice augina* modeſtae vnius apicis inflexioni praeferendum eſſe demonſtrauerit. Poſſet etiam dici, poſtremam vocem *mina* eſſe a *minando*, notiſſima voce, qua Latinus etiam Legis Salicae textus interdum vtitur, quando ex bonae Latinitatis vſu *ducere* ſcripſiſſe oportuiſſet. Ita *Lichamina* eſſet *corporis dux*, appoſite iterum ſi officium oculi conſideres. Nam non ſolum

OCVLI *ſunt in amore* DVCES (c)

ſed & aliàs ſexcenties, quod probare putidum foret, *oculis nos duci* legeris. Sic etiam Itali ſuum *guida* & *guidatore* i. e. dux, a *videndo* repetunt. (d) Plane frequentes inueniuntur

(b) OTTFRID. Lib. III. Cap. XVIII. 105.
(c) PROPERT. Lib. II. Eleg. XII. v. 12.
(d) FERRAR. Origin. Ital. v. Guida.

tur dictiones figuratae ac translatae in exprimendis corporum membris. Sic *Haubt* & *Kopf* a summitate dicta sunt (e) sic *Augapfel* a rotunditate, *Nabel* a cauitate, & *Andinc*, quod olim erat *frons*, si viros doctos sequaris, (f) ab *Ende*, quia pertinet ad capitis & totius hominis extremas partes. Ita mecum agito de nominibus oculorum inter Malbergicas Glossas reperiundis. Tu, quid tecum agitare debeas, lector, ipse videris.

Iam de Naso. Lex ait Tit. XXXII. §. XIII.

> *Si quis alteri nasum excusserit* MALB. FRASITTO *MDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culpabilis iudicetur.*

Hic iterum ad detegendum, cur nasus aut nasi abscissio dicatur *Frasitto*, valde opus est odoramanum vi. Nollem excidisset Schiltero (g) violenta correctio *Nasnitto*, quam nisi ab eo profectam esse certo scirem, parum abesset, quin, quod ex illa, quam saepe notauimus, officina prodiisset, suspicarer. Modestior hic aliquanto, num felicior, vix definiuerim, Eccardus, quando *Frasicto* legit, vel vt ad nostri oris figuram explicat *Vorgesichte*. Redit tamen ad

 geni-

(e) WACHTER. in vtraque voce.

(f) SCHILTER. Glossar. p. 47.

(g) SCHILTER. Glossar. p. 323.

rem, non habeo multo meliora, nisi mihi forte permittatur, vt legerem *Fraſichto*. Est enim *Sichto* vel *ſichte* frequentiſſimum inter Gloſſas de vulneribus vocabulum, & ab obſoleta voce *ſichen* ſecare, cuius ſuperſtes eſt veſtigium in *Sichel*, falx, deſcendit. *Fra*, pertinet inter voculas, quae praefiguntur nominibus multis, & eodem gaudet ſignificatu, quo noſtrae linguae vſu ſyllaba *ver*. Sic *frawurckjan* olim dicebant *verwurcken*, (i) ſimiliter *fraſwaran*, *verſweren*; *frakunnan*, *verkennen*; *fragilda*, *vergelten*; & ad eundem modum *Fraſichto*, *verſchnitten*. Tunc tu forte nihil hic de naſo in Gloſſa ſic explicata reperiri obiicies, & ridicule huic capiti laxam & quodammodo vagam adſcribi explicationem cenſebis, quaſi dubitari poſſet, an ille, cui naſus abſciſſus eſt, recte dicatur *mutilatus*, vel, vt certo modo in lingua noſtra exprimeretur, *verſchnitten*. Sed quidni olim hac de re dubitari potuerit, vt prorſus eiusmodi Gloſſae adſcriptione opus eſſe videretur, cum dubitatum eſſe non ita pridem apud Anglos nouerimus, an ad *mutilationes* pertineret, ſi quis alteri abſciderit naſum. Refertur, (k) auſum hoc aliquando eſſe nonnemi-nem, & ex Lege *de mutilatione* accuſatum, hanc ſui defendendi viam elegiſſe, quod cui

(i) WACHTER. in v. Forlegani.

(k) Lettres ſur les Anglois & les François. p. 71.

naſus abſciſſus fuerit, non proprie *mutilus*, ſed tantum *deformis* factus dici poſſet. Et abſolutus eſt ille reus, ſi auctori fides eſt, quoniam in ea gente iudices verbis legum ſuperſtitioſe inhaerent, & hoc ipſarum ſanctionum conſeruandarum remedium eſſe putant, adeoque ſibi non liquere pronunciabant, num lege de mutilationibus etiam ablatio naſi contineretur. Itaque nunc nihil aliud actum eſt, quam vt noua ſanctione caueretur, poſthac pro vera mutilatione habitum iri, ſi quis alteri naſum abſciderit. Quare ſi & olim dubitatum ſit, num eiusmodi facinus pertineat ad *debilitates*, (quo nomine Legis Salicae conditores vtuntur in hoc Titulo,) tunc non ſine ratione Gloſſator illi capiti adſcripſiſſet *Fraſichte.*

De aure abſciſſa Lege cauetur. §. XIV.

Si quis auriculam alteri excuſſerit MALB. CHVNNI CLEVRA *DC. denar. qui faciunt ſol. XV. culpabilis iudicetur.*

Taedet me fere repetere, quod iterum Eccardus more ſuo violentiſſime *chunni cleura* correxerit *Aslab thaz ora.* Tale quid enim auribus vel patientiſſimis moleſtum eſt. *Eura* ſine dubio ſignificat *aurem*, & adeo late vagatum eſſe nouimus huius vocabuli vſum,

vt

vt etiam peruenerit ad Islandos. (l) Quod ad alteram partem *Chunnicl* attinet, *neſcio*, inquit Eccardus, *vnde deſumſerit ſcriba miſerrimus*. Ego non multo melius ſcio, ſed cohibeo manum, neque ideo *asla thaz ora* reſcribo ex hac vna cauſſa, quod *chunnicl* vnde ſit, ignorem. Praeterea non eſt adeo inauditum ea vox monſtrum, vt Eccardo videtur. Occurrit enim in lingua Cambrica *connicl*, vt eſt apud Pezronium; (m) ſed cum ſciam, hac voce *cuniculum* indicari, quin ab hoc loco ſit aliena, nemo dubitauerit, nec ego. Si mihi tamen liceret pro CHVNNICL reſcribere CHVNNI VI, tunc forte cum aliqua iudicis aequi dicerem indulgentia, eſſe idem ac *ſexa chunni*. Haec vero verba denarios DC. vel XV. ſolidos ſignificant, (n) quae ipſa eſt in capite, de quo agimus, expreſſa mulcta. Mulctam vero in Gloſſis Malbergicis ſaepenumero exprimi, iam ſupra dictum eſt in libelli noſtri ſecundi capite primo. Sic CHVNNI VI EVRA i.e. *DC. denarii pro aure* leui mutatione procederet forte non male.

Linguam lex vindicat §. XV.

Si quis alterum lingua capolauerit, vnde

(l) ADR. RELANDI diſſ. de linguis Americanis p. 223.

(m) PEZRON. Antiqu. de Celtes. p. 381. conf. LOBIN. hiſtor. Duc. Britann. in Gloſſ. v. Conil.

(n) Lex Salica Tit. LXXX. §. II.

de loqui non posſit MALB. ALCHALTVA *IIII M. den. qui faciunt ſol. C. culpabilis iudicetur.*

Adſtipulor, vel certe non contradicam Eccardo in *Alchaltua* poſtremam partem *tua* vel *tuga* noſtrum *zunge* indigitare. Sed priorem nollem mutaſſet in *Aslab*, haud equidem ignarus, *Aslab* ſaepiſſime in hoc titulo legi, ſed tunc ſemper, quando prohibetur *excuſſio* membri cuiusdam. Nunc quoniam hoc capite de *capolatione* tantum agitur, ea vero, vt ſupra diximus, multum diſtat ab *excuſſione*, non ferrem, ſi quis ex qualicunque literarum ſimilitudine procurrat ad eiusmodi correctionem, dum leuior poteſt haberi, quae procederet ſine tanto literarum motu. Legerem igitur vnica tantum litera vel potius lineola inſerta commodius *Alfchaltua*, i. e. dimidia pecuniae legitimae, ſcilicet Weregeldi, pro lingua vulnerata. Eſt autem mulctae quantitas IIII M. denariorum vel centum ſolidorum, qui dimidiam Werigeldi faciunt, vt ſaepe notaui. Sic quodammodo ſimilis eſſet haec, de qua loquimur, Malbergi Gloſſa, proxime praecedenti, &, vt ſaepius aliàs, exprimeret poenam lege comprehenſam.

Nunc age, quid dentes crepent in Lege noſtra, dicamus. Ait ea §. XVI.

Si

Si quis dentem excuſſerit, MALB. *in* CLANINA *DC. den. qui faciunt ſol. XV. culpabilis iudicetur.*

Eccardum inuenies reſtituentem *Tanina*, quod eſſet noſtrum *Tan*, *Zahn*, & hoc longe fugerem, vt alia viri multa, ſi quid incideret melius. Scio equidem vel ex ipſa Graeca voce Κλάω *frango*, vel ad eius ſimilitudinem olim aliquam, nunc obſoletam, in lingua noſtra fuiſſe, vnde adhuc noſtrum *Kleyen*, furfur, deſcendit. (o) Sic *molitoribus* illis, vt plane in literis ſacris vocantur, *dentibus* nomen haeſiſſe *Clanina*, ab illa voce *Klan* frangere, non incredibile ducerem. Vel ſi ſic mauis, dicam *lana* Celtis eſſe *liquefacere*, (p) cui reſpondet Graecum λανὸς & ληνὸς *lacus torcularis*. (q) Eſt autem *liquefacere* dentis officium, vt ipſe Quinctilianus (r) exprimit, *quod cibos* MANSOS *ac prope* LIQVEFACTOS *demittamus*, *quo facilius digerantur*. Hinc rem liquidam illinere maiores noſtri dicebant *Biklan* & *Inklan*, vt ex Otfrido Schilterus obſeruat. (s) Itaque cum ſupra demonſtrauerimus, plerisque corporis humani membris translata & figuris quibusdam expreſſa nomina dari conſueuiſſe, quidni vt lectio

(o) WACHTER. v. Kley.
(p) Idem. v. Lan.
(q) PEZRON. Antiqu. des Celtes. p. 348.
(r) QVINCTIL. Inſtit. orat. Lib. X. p. 1.
(s) SCHILTER. Gloſſar. p. 516.

ctio ſalua ſeruaretur, a *lana* liquefacere, & cum aſpiratione Francica *clana*, dici crederemus dentem liquefaciendo nobis a natura datum *clanina*. In MSCtis Regiis Pariſienſibus pro *Clanina* Schilterus (t) inuenit *chauina*, quod an ſit a noſtro *kauen* mandere, viderint illi, qui me vident acutius.

Habent denique in Lege noſtra partes etiam obſcoenae pretium ſuum, & magnum, vt ex vtroque, quod ad eas ſpectat, capite cognoſces. Sic enim §. XVII. & XVIII.

Si quis ingenuum caſtrauerit, aut virilia tranſcapolauerit, vnde mancus ſit. MALB. WIRIDARDI *IIII M. den. qui faciunt ſolidos C. culpabilis iudicetur.*

Si vero ad integrum tulerit virilia, MALB. ALACHARDE *VIII M. den. qui faciunt ſol. CC. culpabilis iudicetur.*

Habes, quas ſupra diſtinximus, *capulationem* & *excuſſionem*, vel certe diſcrimen iacturae membri totius aut eius partis. Tanti vero aeſtimatam eſſe apud plerasque originis Germanicae gentes membri totius ablationem, vt mulctam eius integro aequiparauerint Weregeldo, prolixe dicere poſſem, niſi mox alio capite de proportionibus mulctarum

(t) SCHILTER. p. 481.

rum ex ipsa indole & officiis membrorum disputare constituissem. Itaque qui *punctim* iuerat, vt alterius obscoena tantum transfoderet, vel eorum partem aufferret, dimidiam Werigeldi partem praestabat, qui *caesim* vsque ad abscissionem, soluebat totum. Illud §. XVII. hoc §. XVIII. continetur; vt adeo facere non possim cum Eccardo, qui *Wiridardi*, glossam capitis XVII. interpretatur *Weregeldum*. Hac enim sanctione tantum IIIIM. denarii vel C. solidi continentur, qui dimidia eius pars sunt, adeoque Glossa recipere non potuit nomen *totius*. Et est manifesta duorum facinorum separatio *castrationis non integrae* & eius, *quae virilia tollit*, vt cum lege loquar, *ad integrum*, vnde *Wiridardi*, quod ad primam speciem pertiner, nihil aliud significare potest, quam partis abscissionem vel laesionem quodammodo mediocrem. Haud equidem ignoro, *Werigeldi* vocabulum pluribus modis efferri, & *Wirigeldum*, *widrigeldum*, *wirdiram* &c. dici, ast *Wiridardi* nullibi hoc sensu inueni. Nam *Werdarda*, quod Heroldus tamquam Malbergi Glossam ad Legis Salicae Tit. XXVIII. §. 3. in margine notauit, alienum est a significatu Weregeldi, & alienum esse, si quantitatem pecuniae ibi expressam intuearis, ipse cognosces. Non melius igitur haec duo Legis Salicae capita Germanice verterem, quam ipsis

ipſis ex codice medio Iuris Friſici repetitis verbis: *De pint allene, eder de hoden allene affgehohen off affgeſueden* EEN HALFF LIIFF *Pint und hoden beyde aff*, EEN HEEL LIIFF. Itaque forſan non abſurde diſputaretur *Wiri* eſſe Francicum illud & Anglo-Saxonicum *wiri* vel *were*, Gothicumque *wair*, quae omnia tam ſono quam ſignificatu conueniunt cum Latino *vir*. (u) Rurſus *dardi* eſt *telum*, quae vox ab antiquis Celtis accepta nunc etiam durat in lingua Gallorum. (x) Hanc vero corporis humani partem *telum*, δολιχόσκιον ἔγχος, dici conſueuiſſe, quis neſcit? Iuſtinus. (y) *Sollicitatoque iuuene ad colloquium cum ferrum occultatum inter faſcias gereret ſcrutatori ab Ariarathe regio more miſſo curioſius imum ventrem pertractanti, ait, caueret, ne aliud* TELVM *inueniret, quam quaereret.* Sic in antiquis epigrammatibus μονοστόρτυγξ Πρίαπος a voce στόρτυγξ telum, ſic μονοβελεῖς, qui valde ſunt viri, dicuntur a voce βέλος (z) Plura Graecae Romanaeque ſalacitatis, quae illa nominis figura luſit, exempla deſcribere vetat pudor. (a) Itaque *Wiridardi* eſſet *telum viri*, ſcilicet non integrae partes obſcoenae, ſed hoc, quod pro-

(u) ECCARD. ad Legis Salicae Tit. LIV. §. 2.

(x) WACHTER. v. Dard.

(y) IVSTIN. Lib. XXXVIII. Cap. 2.

(z) SALMAS. ad Lamprid. Heliogabalum. Cap. VIII.

(a) vid. Priapeia carm. VIII. & LV. MARTIAL. Lib. XI. epigr. 79.

proprie diceretur *virga*, & cuius abſciſſio expiari debet Weregeldi dimidio.

Qui adhuc crudelius ſecuerat, hominemque prorſus eſecuerat, praeſtabat CC. ſolidos, ſeu *totum Werigeldum*; & addit Gloſſator *Alacharde*. Si liceret vnicam mutare literam, reſtituerem *Alachalde*. Nam & *ala* totum, & *Chalde* pecuniam, in innumeris Salicae legis capitibus, quorum aliqua & nos in his libellis tetigimus, ſignificant. Sed ne hac quidem opus eſt mutatione. Nam *charde* Francis erat *vulnus*, quod adhuc ſupereſt in noſtro vocabulo *Scharte*. Sic Alamanni vulnus auris *orſcardi*, (b) ſic Bauari *lidſcarti* dixerunt, (c) ſic in ipſa lege Salica *Charfrido* eſt compoſitio vulneris, vel eo nomine praeſtanda mulcta. (d) Ita cum in hoc capite XVIII. aeſtimetur *vulnus*, quo *ad integrum ablata ſunt virilia*, cur illud *Alacharde* dicatur, quid multum ambigemus? Quapropter facere non poſſum cum Eccardo, qui reſtituit *Aslach charde*, & *aslach* excutere, *charde* virgam vertit, quae olim & nunc in lingua noſtra dicitur *garta* vel *gerte*. Vt autem ab hac ſententia eius recedam, non eo moueor, quod neſcirem, obſcoena maſculi dici conſueuiſſe

O *vir-*

(b) Lex Alemann. III. Cap. I. 21. LX. 3.
(c) Lex Boiouar. Tit. XX.
(d) Lex Salica. Tit.

virgam. Etiam codex meus Friſicus *Waer een man wundet wert doir ſyn manlike Rode;* Ita Leibnitius etiam Celticum *Caly* i. e. veretrum, deducit a *calamus*; (e) itemque in aliis Germanorum legibus plane *vectis* appellatur. Sed hoc volo, quod Eccardi coniectura valere poſſet, ſi hoc *Alachardе* adſcriptum eſſet legis noſtrae §. XVII. quippe quo *virgae* vel certe non totius membri laeſio coërcetur. Nunc quando ad §. XVIII. legitur, coque non tantum virga, ſed omnes obſcoenorum partes continentur, putauerim, quae nos attulimus, forſan aliquanto videri poſſe certiora. Et haec de Gloſſis Malbergicis, quae nobiliores humani corporis partes & earum laeſiones exprimunt, dicta ſunto. Sed quoniam magna pars veteris iuriſprudentiae in doctrina de vulneribus verſatur, age, dabimus ei adhuc bina capita.

(e) LEIBNIT. Collect. etymol. in Cell. p. 101.

CAPVT

CAPVT V.

De proportione, quam in aeſtimandis vulneribus maiores noſtri ſequuti ſunt, praeſertim de vulnerum menſura.

Vulnera non infliguntur ad menſuram, ad eam tamen exiguntur ſuumque velut pretium & redemtionem accipiunt iure noſtratium priſco. Quarundam certe gentium vſu tam inſolita quondam obtinuit Iurisprudentia, vt iudicem de vulneribus cogniturum velut ad abacum ſedere, & non tam leges & arbitrium ſuum, quam menſuram quandam ad cognoſcendum, quam lata ſint & quam profunda vulnera, in conſilium adhibere oportuerit. Quas leges numquam euoluo, quin veruſtae illius Romanae mihi recurrat memoria, quae quasuis iniurias viginti quinque aſſibus aeſtimabat, & quam Lucius Veratius, homo egregie improbus, & ingenuorum depalmatione delectatus, ita ludibrio habebat, vt ſecum in via ſemper duceret ſeruum, qui plenam aſſium crumenam portitabat, & ſi quem manus ſuae palma dominus verberauerat, numos lege definitos ſtatim ſoluebat. (a) Similiter quando in noſtris iuribus ſuum erat & oculo pretium conſtitutum, & naſo, & auri, & omnibus humani corporis non tantum mem-

(a) GELL. noct. Attic. Lib. XX. Cap. I.

bris verum & articulis, cumque, si vulnus tantum inflictum erat, statim, quanti constare possit, ex eius profunditate ac magnitudine palam fieret, quidni peritus gladiator, & qui scite plagas intendere nouerat & moderari, quantum libuerit secuisset, & vulnus, cui luendo se non imparem fore sciebat, inflixisset. Sed plenum est sanctionibus ridiculis illud de vulneribus argumentum, & parum honoris inde maioribus nostris accedit, quod quae apud eas prolixissimae sunt leges, (nullae vero sunt his de laesione corporis & membrorum prolixiores,) eaedem etiam ex variis caussis merito habeantur stultissimae. Nos quando nonnulla scitu non iniucunda in hanc rem disputari posse putamus, primum de variis laesionum speciebus ex veterum legislatorum sententia dicturi, nullam earum distinctionem reperimus antiquiorem, quam quae Lege Salica seruatur inter *vulnera* & *debilitates*. Hoc enim nomine, si quid ex membris humani corporis ruptum vel fractum, vel prorsus ablatum fuerit, continetur; illo, quicquid nihil damni relinquit praeter cicatricem, vel certe officulorum tantum quorundam, non membri, cui suum nomen est, iacturam inuoluit. Hinc etiam binis & diuersis capitibus agitur de *vulneribus* Tit. XX. & de *debilitatibus* Tit. XXXIII. Sic aliquanto recentior iurisprudentia discrimen statuebat

bat inter *VVunden* & *Lemden*; & quamquam nemo Germanus ignorat, qui vocis *Labm* & *Laehmen* ambitus nunc sit & significatus, olim tamen, certe in quibusdam iuribus, aeque late patebat, ac illud Legis Salicae nomen *debilitas*; Vnde ius Saxonum (b) ad *Lemen* etiam nasi, oculorum, aurium, obscoenorumque mutilationem retulit. Paullo accuratius Codex meus Iuris Bauarici distinguit inter *VVunden*, & *Lem*, & *abgeslagene gantze gelid*. Sed plerumque biceps est prima illa laesionum omnium distinctio. Qualiscunque sit, patiamur eam esse, vt affertur, & hoc capite de *vulneribus* agamus, proximo de *debilitatibus*.

In vulnerum aestimatione non omnes vnam viam elegerunt gentes. Nos de ipsarum ordine, & in qua serie haec iudiciorum varietas collocanda sit, parum solliciti, primum de his dicamus, quibus quam latum sit vulnus, & quam profundum accurate metiri placuit, et pro plagae magnitudine nunc grauiorem mulctam statuere, nunc leuiorem. Iam in Aelfredi legibus Anglo-Saxonicis (c) iudex de vulneribus cogniturus dispicere iubetur,

(b) Land-Recht. Lib. II. art. XVI.

(c) WILKINS Leg. Anglo-Saxon. p. 44.

betur, an sit *vncia* longum, et in iure Alemannorum, (d) an ita magnum sit, *vt focus intret ad coquendum, venas vel sanguinem stagnandum.* Sed haec nullius momenti sunt, si cum Frisiorum sollicitudine compares, qua vulnerum hiatus mensi sunt. Iam enim in illa vetere Frisionum lege (e) vulnus, *quod pollice & indicis digiti complicati articulo* contineri poterat, IV. solidis luebatur, *quod in integram spannam pollicis & indicis extensum erat*, VI. solidis, quod *pollicis & medii digiti spanna coërcebatur*, XIII. solidis, & ita porro pluribus vel paucioribus, vt crescit vel decrescit longitudo. Maxima enim erat *a cubito* vsque ad extremos manus extensae articulos, cuius mulcta XXIV. solidi. *Sapientes* illi, quorum extat ad legem Frisionum *additio*, mensuram quoque sequuntur, sed aliquanto diuersam. (f) Minimum enim eis spatium est extremus indicis digiti articulus; huic proximum bini priores eius articuli; accedit hinc tertii pars dimidia; inde totus index sequitur; & sic porro spatium, quod inter indicem digitum & pollicem est; porro inferior pollicis articulus; & demum supremus, vnde *vna spanna*, quae pollicis & indicis extensione continetur. Occidentales

(d) Tit. LXV. edit. LINDENBR. p. 380.

(e) Lex Frision. Tit. XXII.

(f) Additio sapient. edit. Gaertner. p. 121.

tales Frisiones (g) computabant *vnciatim*, & *vnius* vnciae vulnus solido puniebant, *duarum* duobus, & sic cum vnciis crescebat solidorum numerus vsque ad LIII. & tremissem, qui dimidiam totius Werigeldi partem huius populi moribus conficiebant.

Horum omnium vero diligentiam superarunt Orientales Frisii, quando in Legibus suis aliquanto recentioribus, quarum codicem aliàs saepius allegaui, non solum quam latum sit vulnus, verum etiam quam profundum, spectari iusserunt, & artificioso calculo mulctas secundum vulneris ambitum & hiatus profunditatem determinarunt. Mensura vero, ad quam exigebant omnia, erat extremus digiti medii articulus. Sic enim capio, quod in codice meo legitur: *Ene mate wunde is dat forneste lith van den stoet vynger.* Est autem forte *stoet vynger*, vel *stoss finger*, idem ille digitus, qui *Tapphano* dicitur in lege Salica Tit. XXXII. §. VI. *Tappen* enim et *stossen* non valde discrepant; & cum *Tapphano* sit digitus longissimus, erit forte huic quoque interpretationi locus in *Stoss-Finger.* Quicunque digitus sit, non enim erit ingens mensurae discrepantia, primus vel ex-

(g) Ibid. p. 181.

extremus eius articulus ad metiendum adhibebatur, & maximum censebatur vulnus, quod XII. eiusmodi articulos latum erat, totidemque profundum. Itaque cito confectum erat negotium in cognitione de vulneribus. Nam chirurgus, qui iurisiurandi religione in hanc rem obstrictus erat, metiebatur plagam, & vt repererat, in tabulas, quam lata sit et quam profunda, consignabat. In ipso vero Iuris Codice abacus descriptus est, quo mox vno poterat obtutu mulctae quantitatem iudex secundum ea, quae proponebat chirurgus, determinare. Iuuat iusiurandum ex codice vetusto describere, quo chirurgi ad accuratam mensuram in vulneribus capiendam & in tabulas suas ad instruendum iudicem consignandam obligabantur.

En Eedt geesschet van den arsten

Ick N. Baertscheere eder wunde arst laue bulde vnd swere, dat ick alle gewunde personen na myner alle beste verstenteniſſe myt ganzzen ernste vnd Fliit truwelyken wyl helpen, verbynden vnd raet geuen, vnd nemant versumen. Ick wyl oick alle wunde de ick verbinde ter stundt de Lenckte nemen vnd de brede vnde alle Gelegenheit der zenen, aderen, gry-

stel

ſtel, knoken gebroken, gequetſet vnd vth gecomen na vnderrichtinge des Lantrichters in een regiſter my dair tho vorordnet claerlyken ſcriuen eder ſcriuen laten, dair vth vnd na alle vnbeſtendicheit der wunden den Lantrichter rechtuerdichlich berichten. Oick van den Kranken de ick helpe redelyke belonunge nemen wyl vnd dair bauen nemant beſwaren Dit ſegge ick et ſunder argeliſt. So helpe my godt vnde ſin byllige euangelion.

Nunc ecce tibi iudicis tripodem vel potius figuras quadrangulas, ex quibus oracula ille ſua repetebat:

Dit is de tafel de mate van IV. *marck.*
Dit is de brede der wunden.

Dit is de deepte der wunden

	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12
1	8	16	24	32	40	48	56	64	72	80	88	96
2	12	24	36	48	60	72	84	96	108	120	132	144
3	16	32	48	64	80	96	112	128	144	160	176	192
4	20	40	60	80	100	120	140	160	180	200	220	240
5	24	48	72	96	120	144	168	192	216	240	264	288
6	28	56	84	112	140	168	196	224	252	280	308	336
7	32	64	96	128	160	192	224	256	288	320	352	384
8	36	72	108	144	180	216	252	288	324	360	396	432
9	40	80	120	160	200	240	280	320	360	400	440	480
10	44	88	132	176	220	264	308	352	396	440	484	528
11	48	96	144	192	240	288	336	384	432	480	528	576
12	52	104	156	208	260	312	364	164	468	520	572	624

Dusse tafel wyset dat clairlyken wo hoge dat de wunden sick belopen by maten in de brede eder wyde vnde in de deepte. also dat de tal de daelwart geyt als 1. 2. 3. etc. de wyset de deepte van den wunden. Vnde de tal, de recht uth geit, als 1. 2. 3. etc. is de brede van den wunden. Als wan ene wunde deep is 1. mate vnden mate breet is, so is se 8. sch. vnd so wert an na dusser tafel tho recken. Dan in de tafel naest volgende, is de wunde deep 1. mate, vnd de brete oick 1. mate, so is se 6. sch. vnd so voert an. Di

Dit is de tafel de mate van III. *marck.*
Dit is de brede der wunden.

	I	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12
I	6	12	18	24	30	36	42	48	54	60	66	72
2	9	18	27	36	45	54	63	72	81	90	99	108
3	12	24	36	48	60	72	84	96	108	120	132	144
4	15	30	45	60	75	90	105	120	135	150	165	180
5	18	36	54	72	90	108	126	144	162	180	198	216
6	21	42	63	84	105	126	147	168	189	210	221	252
7	24	48	72	96	120	144	168	192	216	240	264	288
8	27	54	81	108	135	162	189	216	243	270	297	324
9	30	60	90	120	150	180	210	240	270	300	330	360
10	33	66	99	132	165	198	231	264	297	330	363	396
11	36	72	108	144	180	216	252	288	324	360	396	432
12	39	78	117	156	195	234	273	312	351	390	429	468

De lijcklawen van den wunden, hoger off ſyder off beenſetich. Buncken queſt. vthkomen. indocken. ſyntael. inwerth. kortet. inſteken. Aderen. hart aderen. mediaen. longen aderen. Lytsmalunge, in den arm. been. vinger. Lytgrouinge. in den arm. been. vinger. elk hechte. IX. *ſch.*

Ita intelliges, quid chirurgo fuerit agendum, & quid iudici. Huius sane tam parum nobile erat in id genus cognitionibus officium, vt tantum allatis chirurgi tabulis ad abacum suum recurrere leuiterque inspectis, qui vel ad profunditatem pertinent, vel ad latitudinem, numeris, eam, quae quaerebatur, areolam facile indagare, ac illius beneficio sententiam tamquam ex periculo recitare potuerit. Immo ne qua difficultas Arithmetica cuiquam oboriretur, prouisum est lege, vt pro vulnere *vnius articuli*, vel *eene mate wunde*, habeatur, si vel tantum dimidiam eius partem expleat, vel plane acu aut subula factum sit, similiter vt vulnus, cui dimidiam articuli partem inserere possis, eadem pecunia luatur, ac illud, cui totum; eius vero, quod ne ita quidem profundum sit, plane nulla ratio habeatur.

Iam satis haec mira est de metiendis plagis philosophia, magis adhuc, quae nonnullis tunc placuit, quando ex vulneribus ossicula quaedam extracta erant. Is enim, inquiunt Ripuarii, qui vulnus inflixit, *triginta sex solidis culpabilis iudicetur, si os super viam duodecim pedum in scuto iactum sonauerit.* (h) Similiter Longobardi, certe quoad ossa capitis, statuerunt, vt aestimentur singula XII. solidis, *ita tamen, vt os tale inueniatur, quod ad*

(h) Lex Ripuar. tit. LXVIII. §. 1.

ad pedes duodecim ſuper viam ſonum in ſcuto facere poſſit, & ipſa menſura de certo pede mediocris hominis menſuretur; nam non ad manus. Ita leguntur poſtrema verba etiam in editione Legum Longobardicarum Muratoriana. (i) Sed fallor, an illa *nam non ad manus* corrupta ſunt, vt ſuperſunt ſphalmata librariorum etiam in hac editione plura. Nulla enim ratio erat, cur quis dubitaret, an ea *duodecim pedum* menſura exigi debeat *ad manus.* Sed de ſtatura hominis quaeri poterat, ad cuius pedem ſpatium determinaretur, & Rotharis rex forte addidit, *non ad magni* hominis pedem reſpiciendum eſſe, ſed vt in ceteris etiam verbis continetur, *ad certum pedem hominis mediocris.* Quicquid de verbis ſit, Longobardos & Ripuarios, & plures, de quibus omnibus dicere longum foret, populos, illum oſſium tinnitum ad ſtatuendam mulctae quantitatem exegiſſe palam eſt.

Doloris vix vllam rationem dura gens habebat. Cuius quamuis aeſtimatio certa non poſſit definiri, eſt tamen maioris & minoris aliquod diſcrimen, quod ipſum noſtrates ſaepe ridicule incurioſi neglexerunt. Nam ecce quid abſonum magis eſſe poteſt, quam quod Friſiones tria, vel quatuor, vel plura vulnera, ſi fuerint

(i) MVRATOR. Script. Rer. Ital. T. I. P. II. p. 21. ſq.

(k) Lex Friſion. Tit. XXII. §. 75.

fuerint vno ictu inflicta, menſi ſint omnia, & mulctam ſecundum magnitudinem omnium connumeratorum determinauerint, cum contra, ſi quis alteri plura vulnera pluribus dederit ictibus, longiſſimi tantum menſuram caperent, cetera vero impunia donarent. (k) Non multo melior Saxonum eſt iurisprudentia. (l) *Die wile der Man nicht en ſtirbt, ſwie dicke man in leniet in einer ſtat, man beſſert ime mit einem halben weregelde.* Ad Friſionum modum Bauari etiam vulnus grauiſſimum leuioribus neglectis ſpectabant. Sic membranae meae: *Wert einer gewunt mit gewaffender hant vnd mit ſcharffen Ortt, daz ſichtig pogwunden ſind, und hat er mer wunden dann aine, ſo ſoll man dem chlager und dem Geriechte nach der hochſten wunten pessern, di er hat, vnd alz vorgeſchrieuen ſtet, vnd der andern wunden nicht.* De oſſibus extractis non ſapientius philoſophati ſunt Longobardi & cum eis Friſii. Nam cum tribus oſſibus ſuum ſtatuerint pretium, *ſi plura fuerint*, inquiunt Longobardi, (m) *non numerentur.* Illud vix a riſu defendi poteſt, quod in membranis meis Friſicis reperi, ſi quis alterius crines inuolauerit, vno ſolido, ſi eos traxerit, duobus mulctari; ſed ſi ſemel coe-

(k) Lex. Friſ. tit. XXII. §. 75.
(l) Land-R. Libr. II. art. XVII.
(m) apud MVRATOR. cit. loc.

coeperit, tametſi per horam & amplius indignam vellicatjonem continuauerit, vnam eſſe eandemque mulctam duorum ſolidorum. *De den anderen in quaden haiſtygen ſynnen taſtet an ſyn haer, dat is tho bode 1. ſ. By den haeren getogen. 11. ſ. Haertapen ſo lange dat duert, reckent men allene voer een haertaepen, al duerde dat een ſtonde oft lenge.*

Deformitatis & cicatricum, quibus ne Romani quidem in homine libero pretium ſtatuebant, rationem habuerunt, quod mireris, Germani. Hinc illud toties obuium diſcrimen vulnerum, quae vel tegerentur veſtibus, vel apparerent, & vtius meum Friſicum ſaepe diſtinguit, *binnen den clederen vnd buten den clederen.* Illa ſemper ſeuerius, haec aliquanto mitius coërcebantur; quorſum etiam pertinet, quod earum cicatricum leuior haberetur mulcta, quae vel capillis obtegebantur, vel etiam barba. (n) Faciem praeſertim & os hominis tuebantur, & ſatis magna cicatrix Friſiis viſa eſt, quam quis, cum adhuc duodecim pedes a vulnerato abeſſet, obſeruare poterat. (o) Sic ſi quis ſaliuam ob vulnus in labiis continere non poſſit, quod Friſii mei

Spe-

(n) WILKINS Leges Anglo-Saxonic. pag. 44. Lex Alemann. Tit. LXIV. §. 3.

(o) Addit. Sapient ad L. Friſ. Tit. III. §. 16.

Spedelſpronck vocant, vel ſi dentes detegantur, aut illi, quos riſus detegit, effringantur, vel iterum *we ſo gewunt wert, dat he een haſe mundt krygt*, haec omnia ſingularibus mulctis legislatores coërcuerunt. (p) Ad formam perdendam quidem non pertinet, ſed omnium ignominioſiſſimum erat vulnus ex opinione Islandorum aliarumque gentium ſeptentrionalium, ſi cui clunes diſſecabantur, quod dicebant *Klambögg*. (q)

Cetera, quae paſſim in iuribus medii aeui commemorantur vulnera, vt *offene Fleiſch-Kaempfer-Beinſchrötige-Wunden*, cum ab aliis ſatis ſint tractata, non tango. Ex iure prouinciali Bauarico, quoniam non eſt in multorum manibus, illud notare iuuabit, quod hos veluti gradus mulctarum ſtatuat, vt leuiſſima ſit *um rauffen ſlagen oder ſtoſſen mit henden oder mit Fäuſten und keinerley wer in der hand*, inde aliquanto grauior *um werffen, ſlagen, ſtoſſen mit cholben oder mit ſtekchen mit ſtainen oder mit welcherley wer*; poſtea *vmb offen plutrunſt*; hinc *vm wunden mit gewaffender handt vnd mit ſcharffen ort daz ſichtig pogwunden ſint*; porro *vmb painſchrot*; ac denique *vmb Lemden*. In his omnibus creſcebat mulcta, donec quis plane membrum alteri ab-

(p) Conf. Leges Longobard. cit. loc. & Aleman. Tit. LXIII.

(q) BARTHOLIN. de cauſis contemtae a Danis mortis C. IV. p. 36. ſeqq.

ri abſtulerit. Tunc enim talionis iuri locum eſſe volebant, ita tamen, vt non excluderetur redemtio. Ceterum cum in hoc capite praeſertim de vulnerum menſura ex iure Friſiorum Orientalium egerim, & ad illud ſaepe prouocauerim, quantum mihi vero conſtat is, quo vtor, codex nunquam exſcriptus ſit typis, non alienum erit a noſtra tractatione totum, quod de menſuris & qualitatibus cicatricum agit, argumentum ex his membranis adieciſſe.

Een vnderwyſynge van mate wunden, vnd gebrecken de van wundinge koemen.

Menn ſtriefft geen wunde eer dat ſe beel is. Dat is men richtet gene wunde vth, eer dat ſe beel is.

Ene mate wunde buten den clederen. IIII. ſ.

Ene mate wunde bynnen den clederen. III. ſ.

Een mate wunde is dat forneſte lith van den ſtoet vynger.

Men rekent de wunden ſo hoech by maten, als ſe mannyge mate lanck vnd diepe is.

Oick ſo diep als de wunde is up de deep-

ſte ſtede. ſo deep reckentmen de wunde langes.

So oick een mate wunde een halff lith breet is. ſo reckentmen ſe voer een lith.

Is ſe oick myt een natel off preem geſtecken. ſo reckentmen ſe voer een mate wunde in de brede.

Daer is oik geen mate wunde. ſe moet den myniſten weſen een halff lith depe. offt op den buncken.

Is ſe myn, ſo rekentmen de brede bynnen den clederen. III. ſ.

Buten den clederen. IIII. ſ.

Vnd de deepte bynnen den clederen. II. ſ.

Buten den clederen. II. ſ.

Alle lemelſe off gebreke de van ſlaen off van vallen komen. ſullen ſtaen iaer und dach na der wundinge.

Wat boete een ytlick vntfangen wyl off vntfanck. ſo dane bote ſal he weder vth geuen.

Doch na verhael dat tho holden.

Offte da er ene weer de duppelde bote tho vntfangen weerdich weer. eder der gelyken, vnde worde van een ander angehaelt.

gehaelt. ſo ſal he man eenuolt breken na Landrecht.

Waer een menſche wort gewundet da er knaken vth komen. vth wat lede dattet geſchee. ſo is de knake broke. III. ſ.

Des knaken vthganges. III. ſ.

De knaken vthgebroken vnd vthkomen ſcrifftmen nicht meer dan dre.

Oick wo vele daer vth komen. ſo is de bote nicht groter. ten weer dan ſake de Richter nagelegentheit vnd na reden koeſte vinden dattet ſick anders geboerde.

Iſt oik ſake dat daer nicht meer dan ene knake gebroken off vthgecomen ſy. ſo ſcryfftmen nochtans dre knaken gebroken off vthgecomen. buten vnde bynnen den clederen.

Weer oik yemant ſo gewundet dat van der wundinge de huet an den knaken beſeten is. dat kumpt dat de knake gequetſet is. ſo is de knake quetſingen. III. ſ.

Vnde dat beenſetich. III. ſ.

dat ſy dan buten off bynnen den clederen.

Weer oick yemant ſo gewundet datmen de wunde moeſte tho ſamen neyen. ſo ſcriifftmen voer elcke hechte dre natel ſteke. vnd voer elcke natel ſteke. III. ſ.
vnd nicht meer. buten vnde bynnen den clederen.

De whyte wlemelſa. dat is wanneer ene wunde buten den clederen een lijcklauvve beholt. de noch cleet noch haer bedecken kan. vnd ſtede anſchinende. is ſo veel alſe ene matevvunde buten den clederen. vnd noch den derden penninck hoger. dat is. IIII. kron vnd V. ſ.
We ſo geſlagen off gevvundet vvort dat he tho bedde liggen. vnde vp den bedde moet laten berichten. ſo vake als he vvort berichtet. ſo vake ſal men tho bote geuen. IIX ſ.
Abeyl. III. ſ.
Inſepta. III. ſ.
Beenſetich. III. ſ.
Buncken quetſet. III. ſ.
Bunken indoken. III. ſ.
Buncken vtbkomen. III. ſ.
Een beydenſche naet. IV. ſ.
Dit is bynnen vnd buten den clederen tho vorſtaen.

Alle

Alle lamelſa rekent men gelijck de vvunden. dubbelt. dreuolt. veeruolt.

Want de vvundinge oick al thó hoge vploepet. ſo mach de richter dat vval matigen.

Loepet de vvunde oick alſo ſyde. dat de cleger hefft meer vthgegeuen den arſten, off thoterunge, off vnkoſt, als ſick de bote belopet. ſo mach de richter de bote vveynich verhoegen na gelegenheit.

CAPVT VI.

De proportione, quam in aeſtimandis corporis humani membris Germanicae originis gentes ſequutae ſunt.

Debilitates dici omnes, quae membrum humani corporis, quod officium ſuum habet, vel plane tollunt, vel inutile reddunt laeſiones, iam aliàs obſeruauimus. In quarum proportione conſtituenda nihilo ſegniorem veterum curam fuiſſe vnusquisque exiſtimabit, qui ſollicitudinem eorum in vulneribus perſpexit. Atque modulus & veluti pes, ad cuius normam mulctae de ſingulis membris definiebantur, Werigeldum erat, ſeu hominis occiſi pretium. Hoc veluti aſſem in ſuas partes & vncias diſpeſcebant, vnde codex meus Friſicus toties in tractatione de debilitatibus iterat *een heel liif*, *een half liif*, *een derde pard liif*. Werigeldi non vna ſemper eſt quantitas. Solet enim perſonarum ſtatus, & ſexus, & dignitas, & aetas diſcrimen facere, plerumque tamen ea, quae pro caede cuiusuis ingenui praeſtatur, ſumma ceterarum, quae in debilitates conſtitutae ſunt, veluti fundamentum eſt, vt vnicuique mulctas illas computanti perſpicuum erit. Saxones in antiqua lege ſua ſupremum Werigeldorum omnium, quod Nobilibus caeſis ſoluebatur, in determinandis mem-

membrorum pretiis fundamenti loco posuerunt. Neque tamen, quamuis hoc non vbiuis exprimant leges, dubitauerim, in vulnerum & debilitatum pretio discrimen aeque obseruatum esse secundum hominum aut dignitatem aut statum, ac in ipsa caede.

Grauissima omnium mulctarum est dimidia pars Werigeld. Nam nonnisi in speciebus oppidò paucis, de quibus postea dicemus, Werigeldum etiam de membro quodam corporis laeso exigitur totum. Dimidia vero pars eius frequentissime irrogatur, & praesertim, si quid in sensibus nobilioribus turbatum fuerit. Sic magno veterum Legum consensu dimidia Werigeldi mulctatur ablatio oculi, auris, linguae, vtique si quis caecus, mutus & surdus inde factus est. Nam si vel aliqua horum membrorum pars superstit, vel vsus qualiscunque, continuo mulctae quantitas decrescit. Talia prolixis exemplis demonstrare, res esset exuberantis operae. Computabit vnusquisque haec sciendi cupidus in singulis veterum legibus, modo, quae sit in quauis lege Weregeldi summa, gnarus fuerit. Sic Ripuarii, secundum quos Werigeldum constat CC. solidis, oculum excoecatum C. solidis aestimant, totidem etiam aurem, si neutrius vsus aliquis superstit; hoc enim casu soluuntur L. solidi. De naso non omnes aeque philosophati sunt. Nam & Ripuariorum & Veri-

norum, & Alemannorum; & Longobardorum lege dimidia Werigeldi parte luitur, quin & Saxonum antiquo iure & ex Repkouii sententia. Sed Frisionibus non tanti visum est odorari. Certe codex meus, quem saepius adduxi: *De Nese al aff gesneden eder gebouen en derde part lyues.* Lingua, manus, & pes simili legislatorum consensu eadem mulcta luuntur. Frisiorum tamen iterum singulari discessione manus pretium est tertia pars Werigeldi.

Vbi ad minora membra descenditur, velut ad digitos, pollex ex lege Ripuariorum & veterum Saxonum Weregeldi parte quarta, Longobardorum sexta, Werinorum nona, & ex speculo Saxonico decima aestimatur. Post pollicem praecipuus honor apud plerosque indici, nonnullorum sententia digito minimo, quorundam etiam medico. Alamanni praesertim & Boioarii inculcant, dispiciat iudex, an armis ferendis impar factus sit laesus. Digiti pedum dimidio plerumque pretio digitorum manus aestimantur; & ita proportio in infinitis, quae commemorantur, vulnerum speciebus & in singulis fere articulis indagari posset, si operae pretium esse videretur. Hoc autem praeteriri nequit, ab hac Werigeldi mensura fere vbiuis diuortium facere legem Salicam. Nam vix duabus speciebus illam obseruant, nimirum in lingua, & in obscoenis partibus. Hoc enim

enim notatu dignum eſt, fere vnanimi omnium conſenſu obſcoenorum pretium eſſe Werigeldum totum, niſi quod Repkouius contentus ſit dimidio. Friſicae membranae, quod aliàs nullibi me legere memini, hoc ad obſcoena mulierum quoque porrigunt. Sed vt iam a Sibrando Siccama notatum eſt, nullus fere populus tam accurate ac minutatim in vulneribus recenſendis & aeſtimandis verſatur ac Friſii. Quare non iniucundum lectori fore confido, ſi ex codice meo totam de vulneribus tractationem inſeram. Quae quamuis ius obſoletum & interdum ridiculum contineat, habebit tamen ſuam haec lectio voluptatem, & in multis etiam propter linguam proderit.

Van den Hoeuede.

De den anderen in quaden haiſtigen ſynnen taſtet an ſyn baer, datis tho boete. I. ſ.
By den baere getogen. II. ſ.
Haertapen, ſo lange dat duert, rekentmen allene voer een baertapen. al duerde dat een ſtonde off lenger.
Hair affgeſchneden offte gebrant van den hoefde VII. ſ.
In den ſlape gedaen XI. ſ.
Wedervvandelinge des hoeffdes XXXIII. ſ.

In olden boeken vintmen XXXVI.ſ.

Vnd dat myt ſynen Eede tho holden und de vvunde noch by maten tho rekenen.

VVedervvandelinge vint man in viiff ſteden, als in den Hoeffde, Ogen, Halſe, Liiue und int Gemechte.

Sinkael III. ſ.

De cop doerſlagen off geſtot eder gevvorpen miit den arſten tho bevviſen elck doerganck by maten I.mr.

Vnd noch dair bauen de VVunde bii maten tho rekenen.

Bregen ſziamen. dat is. datmen bregen in den cop ſeen mach een derde part des liiues. Mit den arſten tho bevviſen, und de VVunde noch reken bi maten.

Viiff ſynnen verkrencket elck VI.ſ.

Vnd dat myt ſynen Eede tho holden vnd de wunde noch by maten tho rekene.

Mosdollich. dat is. cop indoken. III. ſ.

miten arſten tho bewyſen.

Off

Off yemant up ſyn cop geſlagen vvorde in de bregen panne, ſo dat one ſine verwe vvanderde, vnd in elcker maendt ligge een eder tvve dage tho bedde, vnd he dat bevvyſen moge myt ſynen biechtuader, ſo is de bote een derde part lyues und de vvunde noch by maten tho rekenen.

Haelbrede. dat is dair de bregen uth ſyget, ſo is de broke X X IIII. ſ.

Summige olde Lantreckte hebben dat haelbrede ſy de middelſte Knoke tuſſchen dat bregen und dat achter houet.

Met den arſten tho bevvyſen. Unde de vvunden noch by maten tho rekenen.

Een doergaende vvunde in dat houet een engelſche marck.

Een man geſlagen up ſyn houet dat et bloet vth den ſoeuen holen lope, ſo ſynnen de tvve oren elck III. ſ.
De tvve ogen elk ſo veel III. ſ.
De munt und noſteren elck ſo veel III. ſ.
Unde den ſlach dair noch bouen tho rekenen off de Wunde

Houet

Houet duſinge XXXVI. ſ.

Gryſtel ſziama. dat is. dat men den Knoken ſuet I. mr.

Lith ſziama. dat is. dat vel daer de bregen in licht I. mr.

Een man ſyn ſynnen beroeuet, een twe deel ſyns lyues. dat is XVI. ſtige Vnd de vvunde noch by maten tho rekenen.

Irruetſa dede int houet. I. mr.

Dre leske. elck. V. ſ.

Vnd men rekent nicht meer dan dre rumpelen, vnd de Wunde noch by maten tho reken.

Men rekent ſe oick in der handt, voert hoeft vnd vnder den voten.

Beenſetich in dat houet is dubbelde bote.

Snede off dat ſe gresuallich ſe.

Breen clona ſziama. dat is. bregen panne.

Een duffslach, alſo vve slagen vvert myt enen ſtock vp dat houet, dat he vpter eerden ſterte mitt en ſchlach is XXIIII. ſ.

VVunden und beſvvymingen noch bouen tho rekenen.

VVort

VVort yemand vp ſyn houet vvondet. vnd vp de vvunde vvaſſet geen haer III. ſ.

Is de kop ſpleten III. ſ.
Mit den arſten tho bevvyſen.

VVe ſo ſlagen vvert dat one ſyn houet ſtedes off by vvylen duſich is, is XXXVI. ſ.

Dat myt ſynen Eede tho holden. Vnd den ſlach off vvunde noch by maten tho rekenen.

Van de Ogen.

Een oge ſterblint vnd nicht beloken een derde part lyues dat is VIII. ſtyge ſ.

Is nu een halff lyff.

Myt ſynen Eede tho holden. Vnd noch de vvunde by maten tho rekenen

Een oge beloken, off in den cop geſuncken, off vth gebroken een halff lyff, dat is XII. ſtyge ſ. vnd de vvunde by maten to recken.

Een blodich oge. III. ſ.

Dair de tranen vth uallen. vnd dat lith is al heel. III. ſ.

Een

Een ſtucke vth den oge off ogen lede geſneden. XI. ſ.

Dat lith des oges tho brocken dat he ſine tranen nicht holden kan. VII. ſ.

De ogen rinck tho brocken. XI. ſ.

Een lappe van den ogen lede. III. ſ.

Een blaevv oge. III. ſ.

Ogen breudt. dat is. vven dat oge tucket. III. ſ.

Wedervvandeling in den ogen X X IIII. ſ.
na olden lantrechten. X X VI. ſ.

Dattet oge daelvvert keert off vmmekeert. II. ſ.

Van den Oren.

Tvve oren aff, een derde part lyues.

Een oer doerſtecken. IIII. ſ.

By beyden ſyden tho meten. ytlick ene mate vvunde. dat is de doerganck. VII. ſ.

Een man ſyn oren vth rethen. XI. ſ.

Ener vrovven oer vth rethen.

Is yemant dat meeſte deel van ſyn oer aff bouvven. ſo rekentmen dat heele oer aff.

Een

Een man doiff dat he nicht horen kan. een halff liiff.

Myt ſynen Ede tho holden. Vnd de vvunde noch by maten tho rekenen.

Mach be vvat horen. een derde part lyues.

Myt ſynen Eede tho holden.

Offte oick yemant vvundet vvorde vp dat houet dat ſyn ene oer allene doeff vvorde. ſo ſal de hantdadige dat ander oer holden in plicht. een gans iaer daur na.

Vp de oren geſlagen offt opt houet dat et bloet dair vth lopet. ydlick III. ſ.

Vnde men rekent den ſchlach eder vvunde dair bouen.

Offte een eder beyde oren doeff vvorden, vnd me een hoefft vvunde, dat ſal ſtaen iaer vnde dach. vvent dat better vvorden mach.

Van der Neſen.

De neſe all aff geſneden eder gehouvven een derde part lyues.

Want dat vveke van der Neſen aff is

da

da er men ſick by plecht tho ſnuten. ſo rekent men de neſe al beel aff.

De neſe doerſteken. voer de vſterte twve vvande. elck III. ſ.

By beyden ſyden gerekent. elck III. ſ.

De veer myddel damme. elck. II. ſ.

De doerganck. VIII. ſ.

Summa is tho ſamene XXII. ſ.

De neſe ſpleten dat ſe oir vuilniſſe nicht beholden kan. VII. ſ.

Vnde de vvunde by maten tho rekenen. An de neſe gelagen dat ſe blode. elk noſter. I. ſ.

Is oick yemant ſlagen vp ſyn boeuet dattet bloet vth beyden noſteren loept. elck noſter II. ſ. vnd den ſlach eder vvunde dair bouen to reken.

Off yenich menſche ſo gevvundet vvort an ſyn neſe dat be nicht ruken kan. II. grote marck. dat is de marck. XXIII. ſ.

Neſe breudt off tucken. III. ſ.

Van den Munde.

De eerſte veer tanden vth in den munde. elck. XV. ſ.

VVant

VVant de ouerſte tvveſyn mechtich der ſprake.

De nederſte tvve des ſpedels.

VVan ſprake. *V. ſ.*

Spedelſpronck *V. ſ.*

De negeſten tvve tande. elck. *XI. ſ.*

De borninck tande. elck *VII. ſ.*

De kuſe. elck *V. ſ.*

Is de helffte aff. vnd de ander helffte ſteyt. is halff bote myt Ede tho wynnen.

Tandes beteſene mate wunde vnde veer tho bote. off man ſe ſcheyden mach. anders boet men ſe als dat by dermate boert.

Bloet ſpien. vnd dat tho bewyſen. eder myt den Eede tho holden. *VIII. ſ.*

Summige Landrechten holden. *XII. ſ.*

Wem ſyn mundt tho den oren thuet. van wundiges wegen. *XI. ſ.*

Vnd noch de wunde by maten thoreken.

Mundt tucket. *III. ſ.*

We ſo gewunt wort dat he een baſe munds kryge.

Een doergaende wunde doer de kennebacken. XLIII. ſ.

We ſchouen wert dat he bloet ſpyet. XII. ſ.
tho bote. myt ſyn eedt tho vvynnen.

Van den Lippen.

De ouerſte lippe doir ſteken eder geslagen. de vterſte vvant. III. ſ.

De bynnenſte vvant. II. ſ.

Noch de vvunde bij maten tho rekenen.

So iſt oick tho rekenen van der kennebacken

De doerganck oick ſo vele. II. ſ.

De nederſte lippe oick ſo vele. II. ſ.

De nederſte lippe gebroken off affgeſneden datmen de ſieuer nicht holden mach. VII. ſ.

De lippe al heel affgeſneden. ytlik. tvvedeel des lijues.

Halff aff een halff lijff.

Derde part aff. een derde lijues.

Van der Tunge.

De tunge al affgeſneden een tvve deel des lijues.

Halff aff een halff lijff.

Een

Een derde part aff. een derde part lij ues.

De tunge doerſteken. bij elcker ſijden II. ſ.
De doerganck oick ſo vele II. ſ.
De ſprake vermynnert- VII. ſ.
Wert een menſche vander wunden heel ſtom dat he nicht ſpreken kan. een twe deel lyues.

Van den Baerde.

Bi den baerde getaſtet. I. ſ.
De baert affgebrant. III. ſ.
Aff gecoren tegen des mans wyllen. IIII. ſ.
In den slaep geſcheen. derde part meer.
By den baerde tapet II. ſ.

Van den Halſe.

De hals krage geſeriget datmen den hals nicht vmmekeren kan. XV. ſ.
Vnd die wunde by maten tho rekenen.
We den anderen by der kelen grypt off nympt. III. ſ.
We geſteken wert doer den hals ſtroete dat he ſynen dranck nicht holden kan. vnd dat he is rutelende. een derde part lyues.

Is he nicht rutelende. ſo is de ankome des vterſten ſyden III. ſ.
vnde de innerſte ſyde. III. ſ.
De doerganck. II. ſ.
Is oick emant ſteken durch ſyn hals. ſo is de mate van den doerganck. IIII. ſ.
De lenckte van de wunde vnd oick de mate IIII. ſ.
Vnde ſo mannick mate als de wunde lanck is in den doirganck. ſo mannich doerganck rekentmen by maten.
De kele beſeth. III. ſ.
We den anderen myt den voet vp den hals treth. III. ſ. nonnulli. XII. ſ.
We den anderen doer den hals ſteket datter beer dair vth loopt. LXXVIII. ſ.
Man voer ene wunde in den halſe daer den den adem vth geyt. XLVIII. ſ.
Vnde de wunde by maten tho rekenen.
Een wunde in de kele XIX. ſ.
Dat wyde been vntwe I. mr.
Wederwandelinge in den hals. XXIIII. ſ.
na den olden Lantrechten. XXXVI. ſ.

Van den Armen.

De middelſte lede in den arme gekrencket II. mr.

Lede ſmalunge in den arm. *I. mr.*
Een lith ſyne lenckte verloren *I. mr.*
Eeen arm doerſteken. by elcker ſyden ene mate wunde.
Vnd bynnen in den middelſten gelt de mate wunde *II. ſ.*
De lempte des arms vnde des handes tho ſamen komende. *II, mr.*
In den ellebagen *IIII. mr.*
An de ſchulder. *VI. mr.*
De ſchedel dat is de lutke pype in den arm vntwe. *I. mr.*
De grote pype vntwe. *I, mr.*
Een arm tho broken. *I. mr.*
Een lith gekrencket byder hantruſten. *I. mr.*
Een lithwert an den ellenbage. *II. mr.*
Een lithwert an de ſchulder. *III. mr.*
De arm pype geſpleten *XIII. ſ.*
De lutke pype geſpleten *VI. ſ.*
Een heydenſche nait in de wunden geneyet. *IX. ſ.*
De ſchiue vpten ellenbogen vntwe houwen. *XXXVI. ſ.*
Ene wunde vpten ellenboge dair de arm vntwe was in de ſchiue. *X. ſ.*
Dat wyde been vntwe. dat is dat ſculderblat. *I. mr.*

Lamelſe ſal ſtaen iaer vnde dach.

Dat lithwater vth den wunden gelopen XXIII.ſ.

Wantmen de lempte rekent. ſo rekentmen nicht dat lede water.

Is de arm in den ſculderen vth den leden geweeſt vnd is nicht lam. XXIIII.ſ.

Den val. slach. eder wundinge. ſalmen daer bouen rekenen

Is de arm inden ellenbogen vntwe geweeſt. vnd nicht lam. XII.ſ.

Is oick emant ſo ſchouen. worpen. off slagen dat ſyn litht tuſſchen der hant vnd den arm. dair de hant vnde arm tho hope kome, vth den leden ſy geweeſt. vnd is nicht lam. VIII.ſ.

Synnen oick de leden. alſo nu bouen ſecht is. verwrecket. vnde nicht vth den leden. ſo iſt. III.ſ.

vnd den dele val noch bouen tho rekenen.

Is yemant den arm in den ellenbogen aff gehouwen. ſo rekentmen den ellenbogen aff vnde oick de hant aff

Is de arm in den ſculderen aff. ſo rekentmen de ſculder aff. den ellenbogen aff. vnd de hant aff.

De ſculder aff. is LXXII.ſ.

De ellenbogen aff. is XLVIII.ſ.

De handt aff. is een halff lyff. dat is. XII. ſtige ſ.

Van

Van der Hant.

Een hant aff dat ſe vpter eerde ligge. en halff liiff.

Is de handt krauwel. krum. off griiplam dat ſe dair mede nicht ſo wal kan tho grypen off tho taſten.

Off be kan de hant ſo wal nicht vp boeren off deelwert boegen. dat ſe one ſo wal nicht helpen kan ſo ſe tho voren plach. ſo rekentmen de handt lam

Steyt oick de handt ſtiif an den arm dat men dat lyth dair de hant vnd arm tho hope komen nicht vptwert noch deelwert boegen kan. ſo is de hant lam.

Vnd de lemteniſſe des handes. alſo nu bouen ſecht is. is een derde part lyues.

Synnen oick de vingeren nicht lam. vnde de hant is lam. alſo nu bouen ſecht is. ſo rekentmen noch de hant lam

Synnen oick de vinger lam vnd de hant lam ſo rekentmen nicht de lemptenisſe der vingeren. dan allene de lemteniſſe der hant.

De duum lam off affgebouwen LXXX. *ſ.*

De negeſte twe vinger. de derde part der hant.

Isset in de rechter hant. so synt de twe vinger een derde part meer.

De laeste twe vinger. een derde part handes. wan se reyn aff synt. off dat se gresuallende synt

Dat eerste lith an den dume bornet off lemeth. XII. s.

Hornet is een halff lemet.

Dat eerste lith van allen anderen vingeren. VII. s.

Dat anderde lith an duum vnd an vingeren XI. s.

Dat binnenste eder derde lith. XV. s.

So rekentmen de bele vinger lam off aff. vnd nicht hoger.

Doer den vinger eder duum steken II. s.

Een lith verkrenget III. s.

Lith smalinge off grobinge. off korter. III. s.

Yenich gebreck in den leden der vingeren. III. s.

Den vinger gevvreket. III. s.

Den duum vervvreket. IIII. s.

Een nagel van den vinger. III. s.

Van den duum. IIII. s.

De

De hant vth den leden geuallen. *VIII. ſ.*
Een gadt doer de hant geſteken vnd tvve anderen vntvve *XXI. ſ.*
In de Zene geſteken *II. ſ.*
De Zene krencket off quetſet. *III. ſ.*
De Zene kortet. *V. ſ.*
De hart ader. off mediaen ader. off longen ader vntvve. elck. *V. ſ.*
Senen vnde aderen is alleens.
Is oick de hant doerſteken. ſo rekentmen den doergauck by maten. elck mate is. *IIII. ſ.*
de lenckte van der mate vvunde. is oick. *IIII. ſ.*
Vnde men rekent de lenckte van der vvunde allene vp de ene ſyde van der hant.
Synnen oick de rumpelen bynnen der hant vntvve houvven. ſo is elck rumpel. *V. ſ.*
vnd men rekent nicht meer dan dre rumpelen.
Vnd noch de vvunde by maten tho reken.

Van der buſt. rugge vnd lyue.

De vvant eens mans doerſteken *I. mr.*
Mit den meſte gedaen. derde part meer.
Want yemant ſo gewundet vvert off ſteken.

ken dat de vvunde doergeyt in dat liiff. ſo is de doerganck allene. XXV. ſ.

Vnd de deepte van der vvunden eer dat ſe doer kumpt. vnd oick de lenckte van der vvunden noch by maten tho rekenen. myt den arſten tho bevvyſen.

Is dair oick ſmeer off een ſtucke vleesſches geſchnedes vth der vvunden de dair int liiff geyt. ſo is de vvunde myt den doerganck dubbelt.

Is de vvunde oick nicht doer mit liiff. ſo rekentmen elck ſnede. III. ſ.

Vnde de vvunde nicht dubbelt.

Is oick yemant ſtecken doer ſyn liiff. ſo methmen de vvunde in de deepte vnde lenckte by beyden ſyden.

Den doirganck int vvoeſte liiff. XXV. ſ.

Dat myddel riiff doerſteken. XXIIII. ſ.

De doergaende vvunden rekentmen by maten in de lenckte. alſo.

Is de vvunde II. maten lanck. ſo rekentmen tvve doergaende vvunden.

Is oick de vvunde III. maten lanck. ſo rekentmen ſe voer dre doergaende vvunden. vnd ſo voert an.

Wert

Wert yemant vvundet int liiff. dat de adem vth der vvunden geyt. und de vvunde ſy doergaende eder nicht. ſo iſt een derde part liiues.

Mit den arſten tho bevvyſen.

Vnd de vvunde noch tho rekenen by maten.

In der magen gevvundet. dat ſynt tvve doergaende vvunden. mit den arſten tho bevvyſen.

In de longen gevvundet. een derde part liiues.

Is he in ſyn longe gevvundet dat men de longe bloet ſeen mach. ſo iſt dubbelt.

Is yemant ſo gevvundet in ſyn liiff dat de longe vth ſyn liiff banget. vnd men kan de longe ſo nicht vveder int liiff brengen, men moet dair eerſten een ſtuke aff ſnyden. dat is ouck dubbelt.

Smeer vth den vvunden geſneden. elck ſnede. *III. ſ.*

De hoechſte lemelſe in dem liiue. is dat een man nicht mach baden.

Noch vp den bedde vveſen.

Noch tho vvagen noch tho vvater doege.

Noch

Noch kolt noch vvarm dat gades hues verſucken mach.

Noch by ſynen wyue weſen. ſo he tho voren plach. een halff liiff.

Een ryhbe tho broken. V. ſ.

vnd tho bote. III. ſ.

Wort dair yemant gewundet an ſyn woltſenen off an ſyn rugge. dat one ſyne nacke tho rugge thee. vnde ſyn angeſichte vp thee. vnd ſyn back nicht vmekeren kan.

Dat eerſte. dat he ſo wal nicht vp ſeen kan.

Dat anderde. dat he ſo wal nicht dale komen kan.

Dat derde. dat he vpter vorder ſydt ſo wal nicht liggen kan.

Dat veerde. dat he vp ſyn luchter ſydt ſo wal nicht komen kan.

Dat viiffte. dat he ſo wal nicht tho rugge komen kan.

Dat ſeſte. dat he ſo wal nicht voert an komen kan.

Dat ſoeuende. dat he ſo wal nicht ront vmme komen kan.

Duſſe ſoeuen werucle ſynt elck een derde part liiues.

Is yemant ſo gewundet in ſyn woltſenen. dat he ene ſiit lam is. ſo iſts en halff liiff.

De woltſenen ſcrifftmen tuſſchen twen oren vp den oers knoep.

Vp de burſt getreten vnde bloet geſpegen. XIIII. ſ.

Abel vnde Inſept in den bueck X. ſ.

Wederwandelinge int liiff. XXIIII. ſ.

na dem olden Lantrechte XXXVI. ſ.

Van dem Gemechte.

Waer een man doer ſyn gemechte gewundet wort dat he gene kinder telen kan eder mach. IX. mr.

De bote voer de negen kinder de he mochte hebben geteelt.

Hefft he oick kinder tho voren geteelt. ſo vntgeyt dat dengeboren vnde geyt tho den vngeboren.

Iſſet dat een man ſyner manlicheit ene beholdet. den luchteren off den vorderen. ſo mach he kinder telen.

Dan

Dan unſe Lantrecht vermach.

Hefft een man ſyne luchter mantlicheit verloren ſo is he toechloes. hefft he den luchteren beholden vnde den vorderen myſter he. ſo kan he noch kinder telen. vnde ſo iſt halff gelt.

Waer een man wundet wert doir ſyn manlike rode off doir den budel dair de boden in ſynt. ſo is de doergancke van ytlicben duſſer beyden. XXIIII. ſ.

Vnde wunde noch by maten tho reken.

Geyt de vvunde voert doer in liiff. ſo ſynnen dat tvve doergaende vvunden.

Is oick een man ſteken vnter den budel in dat liiff. vnd dat bloet loept vth der vvunden in den butel. vnd men moet den butel vpſniden. vm dat bloet dair vth tho reynigen. ſo iſt XXIIII. ſ.

Vnd de vvunde by maten tho rekenen.

Doer de menlyke rode geſteken LIIII. ſ.

Doer de boden geſteken. elck bode II. mr.

De pint allene eder de boden allene affgebouuen off affgeſneden. een halff liiff.

Pint vnd boden beyde aff. een heel liiff.

Een man ſyn gemechte geblodiget IIII. ſ.

Ene

Ene vrouvven gemechte geblodiget. *VI. ſ.*
Offte kael gedaen. *VI. ſ.*
Een man doer ſyn pint geſteken *II. mr.*
Is ſo yemant gevvundet dat he nicht telen kan. een derde deel lyues.
Ener vrouvven oer gemechte gereten. *XV. ſ.*
Is ſe oick verkrencket dat ſe oer vvater nicht holden kan. een derde part lyues.
Is oick een vrouvve ſteken doer beyden ſyden off vvangen van oer gemechte. ſo meetmen de twee vtherſte ſyden by maten. vnd de mate vvunde in de lenckte is. *XII. ſ.*
Vnde de doirganck oick, *XII. ſ.*
Vnde de beyden ſyden van bynnen meetmen nicht by maten.
Wedervvandelinge int gemechte. *XXIIII ſ.*
na den olden Lantrechten. *XXVI. ſ.*
Een man vnhoueſch getapet eder getagen an ſyn gemechte *IIII ſ.*

Van den Benen.

Weme de kneſchiue vntvve geſteken. gevvorpen. offgehouvven vvort. *III. mr.*
Een bulpe vvonde. *II. ſ.*
ſo mannich dair is byſunder.

De

De lutke pype vntvve. XII. ſ.
In den benen lithſmalinge XII. ſ.
Vnde lithgrouinge oick XII. ſ.
De lempte in den knę. XLVIII. ſ.
De lempte in den lenden. LXXII. ſ.
Is oik emant ſteken doer ſyn been ſo meeth- men den doorganck.
Vnd de doerganck van der mate vvunde is. III. ſ.
Vnd man meeth de lenckte van den vvunden man by ene ſyde van den bene.
Dat been beel aff. offte vntvve tho brocken. is alleens myt bote vnd broke geliick den armen.
Oick ander gebreken ſalmen boten geliick den armen.

Van den Voten.

Een voet aff. een halff liiff.
Stot be an vnd geyt ſtrupende off is ſtaffgenge. off dat de hacke nicht kan vp de eerde komen myt den treden. off dat be myt ten voet hinckende geyt. een derde part liiues.
Want de vvunde noch by maten tho rekenen.

VVan-

VVant de voet lam is by der voet ruſte. II. mr.
Mitter voet geſtot. III. ſ.
Dre leeske in den voet. elck. III. ſ.
VVeme ſyn voet drupet. IIII. mr.

Van den Thenen.

De grote thene aff off lam. halff ſo vele als een duum.

De ander thenen aff. off lam. halff ſo vele als een vinger in der luchter hant.

Vnde ſynt dair twe lede lam offte aff van den groten thenen offte van den anderen thenen. ſo rekentmen den helen thenen aff off lam.

Synnen dair oick alle dre leden van den thenen. ſo rekentmen nicht meer dan twe leden

Vnde dat vorneſte van den thenen is halff gelt. vnd dat ander lith heel gelt lam offte aff. alſo bouen ſecht is vander vinger.

Notabilia.

Alle wat hiir bouen geſtreuen ſteet van den Hoeffde. Ogen. oren. Neſen Munde. Halſe. Armen. Handen. Vingeren. Rugge. Liff. Vote. Benen &c. ſo ſalmen dair noch bouen methen. de

wundinge by mathen. myt allen dat dair noch bouen is tho rekenen.

Is dair een halff lith aff offte lam. ſo rekentmen een heel lith lam offte aff.

Is dair anderthalff lith aff eder lam. ſo rekentmen twe lede lam offt aff. vnd ſo voert an.

Alle lede rekentmen lam. want ſe one ſo wal nicht helpen konen. alſmen dair mede boeren off arbeyden ſal.

Io doch een richter mach dat anſeen.

Van benen vnde armen dat is alleens.

Alſo nu bouen ſecht is, dat een man mach myt ſynen Ede holden. als houetduſinge wederwanderinge. off bloet ſpiinge &c. ſo ſal een richter wal anmarcken de gelegenheit der ſaken. slagen. quetſinge. off ſeringe. &c. offte dair een quader mochte vth ryſen.

Vnde oick de perſonen anſeen. off ſe oick eer menedich hefft geſwaren. off he oick vp recht ſy als een guedt chriſten menſche. vnd off he oick licht is van woerden vnde geringe tho ſweren. vnde ſo voert an.

Van ſaken vrouwen belangende.

Der vrouwen buue vpſtreken. *I. ſ.*
Affgeſtreken. *IIII. ſ.*

Haer

Haer affgeſcharen off gebrant in den ſlape XI. ſ.

Haer affgeſneden van den hoeffde off ſtukelbrant. XI. ſ.

Baesfanck. dat is. datmen ener vrouwen vnbouesch antaſtet buten den clederen. III. ſ.

Binnen den clederen IX. ſ.

Iſſet ener vrouwen gedaen de myt kinde is. off in oer ſtilniſſe. XII. ſ.

ſummige Lantrechte hebben. XVI. ſ.

Wort ene vrouwe auer de banck geworpen dat ſe blike beneden den gordel. XV. ſ.

Ener vrouwen oer dre cleder doergeſneden. dat ſe doerſchinich ſy.

Dat eerſte cleet. II. ſ.

Dat middelſte cleet. IIII. ſ.

Dat hemmet. VIII. ſ.

Ener vrouwen oer waerte van der borſt geſneden. XXIIII. ſ.

Beyde aff dubbelt.

Ene borſt al aff. een derde part oere liiues.

Beyde aff. een heel liiff.

Alle wat ener vrouwen gedaen wort de ſwanger is. dat is dreuolt.

Wat ſuſt de ene vrouwe den anderen deyt is eenuolt.

Wat den wrouwen ſchuet van den mannen is derden deel meer.

Ener vrouwen de oer natuerlyke krancheit hebbe. off geeſtelicke pſonen. off bedelers gedaen. noch een derde part meer. als ander vrouvven. in bote vnd broke.

Alle vvatmen vnſvvangere vrouvven. vveduen. deyt. myt meſten. ſtenen. ſtocken. yſeren. vnde alle vvundinge. een derde part meer dan enen man gedaen.

Summige Landrechte hebben.

Eens ſo vele als een man gedaen. dat is dubbelt.

So veer als dat byſunder in den vrouvven boten nicht geſtreuen ſteyt.

We den vrouvven myt der huuen vnd doick vm de bene sleyt. II. ſ.

Den vrouvven ore slynger affgeſneden. dat is dat ſnoer dair ſe oer huue mede tho hope byndet. XI. ſ.

Wort ene vrouvve gevvundet beneden den gordel. dat is dreuolt in bote vnd broke.

Ener vrouvven beneden den gordel vnhoueſch getapet eder getogen bymnen oren cledren. off een blodelſe gedaen. elck. VI. ſ.

Ene vrouvve beuochten dat ſe oeren frucht vorloren hebbe. ſo ſynt de eerſte

trve

twe maente tho geen gelt geſetb. dan de vrouwe ſal een hoechſte marck tho bote hebben.

De derde vnd veerde maent. elck XV. ſ.

De viiffte vnde ſeſte maent. elck een halff liiff.

De leſte dre maente een heel liiff. vnd der vrouwen voer elckter maent de groeſte marck. vnd alle maende tho bewyſen myt een prieſter. und myt twen de dat weten wo de geboerte geſchеen is.

Summige Lantrechten hebben. myt een tuich und myt oer ſelue Eedt. wo de geboerte geſchеen is.

Vnd voert III. ed melde na der kaes ſodanne frucht verloren hebben.

Ener vrouwen oer oer vthgereten XI. ſ.

Worde eens vrouwes perſoen achter rugge ouer geboget dat oer gene ſchande blyke. IIIII. ſ.

Deyt ſe ſick ſeer IIII. ſ.

Ener vrouwen ene van oren kuntlippen affgeſneden. een halff liiff.

Beyde aff een heel liiff.

Wair een vrouwes perſoen enen man eerſten anuechtet. blodich und blaen sleyt. dat na rechte bewiislick is. und de vrouwe van den ſuluen man wederumme geslagen. gevvundet. off doetgeslagen vvort. ſo verlueſt ſe dairmede de verbetringe orer vroulicher bote. alſo datmen oer nicht hoger darff boten dan enen man.

Offte ene vrouvve queme tho ſchedunge dair tvve vechten. vnd ſe alſo vvorde gehandelt dat ſe bynnen nacht vnd dach een doet kint brochte ter vverlt dat haer vnd negel hefft. ſo iſſet al dubbelt in bote vnd broke. vnde dat kint tho betalen.

Iſſet dat de vrovve oick ſteruet. ſo ſalmen ſe dubbelt betalen in bote vnd broke. alſo ſteyt in dat XVII. Keſt. vnde dat is vvaer. vvant de vrouvve eerſt nicht heuet gedaen blodelſe. blaeuvvelſe. doergaende vvunden. off doetslacht. ſo ſalmen recht anſeen. In pen. ſcult.

Ener vrouvven vveergelt. dat is. vvant ment ener vrouvven unrecht verſcheemt und oer eer benympt myt unrecht

vp-

vpcledunge by enen man. und brenget ſe tho ſcande voir de lude. tho bote. XXVI. ſ.

We ene vrouvve verkrechtiget. offbeuet angeſtelt tho verkrechtigen. de ſal der ſuluer vrruvven geuen. CI. ſ.

vnt den heren oick ſo vele. Dat ſteyt int XV. Keſt. und XVIII. Landrecht.

De vrouvve de verkrechtiget vvort. vvant ſe ropet und ſchreyet. und oer vvapen ruchtet dat volck volget. und redden ſe. ſo iſt apenbaer. Int XVIII. Lant.

Is de vrouvve een gemene vviiff. ſo iſt halff ſo vele int bote vnd broke.

Want ene vrouvve ſecht dat een man by oer vpt bedde is gecomen und hefft oer bekent. und dair geen bevviis by en is. ſo machtmen oer geen geloue geben.

Van ſmyten vnd werpen.

We den anderen ter eerden ſmyt. III. ſ.

Int vuer gevvorpen IIII. ſ.

Myt der ſchalen eder beker gevvorpen. III. ſ.

Myt een torue gevvorpen. III. ſ.
Myt ſtenen off myt enen ſtock III. ſ.
Myt ener kluten III. ſ.
We den anderen myt enen hont ſmyt. XV. ſ.
Iſt een teue ſo iſt een derde part meer.
We den anderen myt dreck off koe ſchyte vverpt. II. ſ.
VVe den anderen an enen ſtock eder oeſt vverpt. IIII. ſ.
Myt enen boet eder beneth gevvorpen I. ſ.
Myt een baer eder hant bylen gevvorpen V. ſ.
und de blauvelſe. blodelſe. off vvunde noch bouen tho rekenen.

Van ſtoten.

De den anderen myt der vuſt voer der borſt ſtoet. II. ſ.
VVe den anderen myt enen ſtoel ſteet. III. ſ.
VVe den anderen myt enen voet ſtoet offt ſpurrent. III. ſ.
VVe den anderen myt enen ſtock ſtoet III. ſ.
We den anderen myt enen hellebuert. ſpeetſe. off blancken ſvverde ſtoet IIII. ſ.

Van

Van slaen vnd ſteken.

Een blaumelſe. III. ſ.
Een blauvvelſe. myt enen ſtock geslagen VI. ſ.
De rode ſtrype. II. ſ.
Een blodelſe. II. ſ.
Myt enen ſtock gedaen. V. ſ.
Alle ſtede de van slaende vpſvvellen is elcke bule. III. ſ.
Een ſtucke vth der vvunden geſneden elck ſnede. III. ſ.
Een lappe affgeſnede eder affgeslagen. III. ſ.
VVen hulp vvunden geſneden vvorden. elck. II. ſ.
Een vueſt slach. II. ſ.
Een ſtaff slach. III. ſ.
Myt den yſeren offt blote meſte gedaen IIII. ſ.
VVe geslagen vvort dat he valt vp ſyn kneen. VI. ſ.
VVort he oick geyaget furder langes vveges in een anderen hues off hoff. ſo iſt een derde part meer.
VVe den anderen mytter natelen off ſpelde ſteckt. I. ſ.
Een ſoldede gedaen. XXIIII. ſ.

dat is. vvanneer de ſpyſe vth beyden enden geyt. vvelck nich en geeſchieet. dan mytter hoechſte beſvvyminge. Is nu een engels mr.

Mytter vueſt geslagen. II. ſ.

ſo mannich dair geslagen ſynnen in ener betten. vvo dair geen blauvvelſe off blodelſe ſynnen. ſynt ſe daer. ſo mannich vueſt slach ſalmen rekenen ſo mannich blauvvelſe offte blodelſe daer is.

VVe enen anderen iaget myt enen ſvverde off ſtock langes vveges. III. ſ.

VVe den anderen iaget myt een meſs vp ſyn hues. V. ſ.

Waer een man ſo angeuochten wort dat he ligge dach vnde nacht in ſyn vuelniſſe. den slach noch bauen rekent XV. ſ.

Waer een man ſo ſeer angeuochten wort dat he ſyn adem nicht krigen kan. dat is een derde part liues.

We den anderen vp ſyn vugge loepet ſtille ſwygens dat he in den dreck veelt vnd ſick vuel maket. elck van duſſen. III. ſ.

We den anderen slepet III. ſ.

Iſt in den dreck. noch. III. ſ.

We

We den anderen ſmyt off ſchufft ter eerden III. ſ.

Iſt in den dreck dat he ſick vuel maket IIII. ſ.

We den anderen myt vuelen voeten by den benen vpſtryket I. ſ.

We den anderen quelcke angriipt off vnvverdichlick vnd one ſcuddede I. ſ.

VVe ſo gebandelt vvort dat he bloet ſpyet. XII. ſ.

vnd dat myt ſynen Eede tho wynnen.

Myt den brande gebraut off dair mede geſeriget.

Een wunde myt enen brande ſlagen off verbrant. dat is altiit een derden deel meer dan myt den meſte gedaen.

Een lappe affgebrant. bynnen den clededreu IIII. ſ.

Buten den clederen. iſt een derde part meer.

VVe den anderen ſyn wulle van ſynen clederen zenget vnd nicht verbrant I. ſ.

Ener vrouwen oer doeck verbrant. IIII. ſ.

vnd den dubbelt tho betalen.

Van

Van daden der vniarigen eder iarigen menſchen.

Alle daden de een yarich menſche doen mach dat ſy man off wiiff myt oren wyllen off buten oeren wyllen gedaen.

Alle ſpyl dade.

Achter rugge dade. off dat vnwarens gedaen is. is al vulle bote und broke.

Al wat vnyarige kinder doen. dee meeckens bynnen XII. iaren. de knechtkens bynnen XIIII. iaren. is twede bote vnde gene broke.

Van ſchalers boete.

Schalers boete is man halue bote vm des wyllen dat dair altiit verdreet van aff kumpt.

Vnde dat heet een ſchaler de by dage off by nachte vngebeden tho der liide huſe ingeyt vmdrinckens wyllen. dan is be gebeden ſo iſt vulle boete vnd broke.

Van beſwyminge.

Van beſwyminge. De hoechſte beſwyminge is. we ſo slagen wort vp ſyn hoeuet dat he voer doet ligge vnd baelt

den

den preeſter. vndmen deyt em ſyne bewaringe. vnde man koefft was. vnd be dan noch tho lyue kumpt XV. ſ.

De myddelſte beſwymynge is. wanne er voer doet wort ingedragen. vnd myt handen beslagen vnd beſcreyt wort. XI. ſ.

De mynſte beſwymynge is. VIII. ſ.

Duſſe bote is na Lantrecht tho cleyn na gelegenheit der ſericheit. daervmme moet een Richter dat anmarcken wo groet dat de beſwymynge geſcheen is. vnd dair na de bote ſetten na ſyn conſciencie vnde guetdunckent vnde volent des kranckon.

Van wechwentinge.

De hoechſte wechwendinge is wannen enen man vvent vp den karckvvech als he tho karcken eder gades hues ſal gaen ſo is de vvechvvendige XI. ſ.

De ander is. vve den anderen vvent vp den gemenen vvegen. ſo breckt he VIII. ſ.

De derde is vve den anderen vvent myt den ſcepe. ſo is de broke IIII. ſ.

Deene man kan den anderen gbene vvechvvendinge doen vvanneer ſe allyke vele in

le in de hant hebben. oick ſal be vveſen blaevv vud blodich.

Van waterdopinge.

VVe den anderen vvapt int vvater dat vloit off ebbet voir vth den ſcepe dat he achter den ſcepe vveder vp kome. noch den grundt voelt noch hemel ſeet. XV. ſ.

VVert he gevvorpen in een vnvvat vvater dat he geen grundt volen kan. XI. ſ.

VVe gevvorpen vvort in enen sloet off in een grope dat hem haer und hals nath ſy. VIII. ſ.

VVe in den sloet geyaget vvort off gevvorpen off ſcouen dat ſyn hoeuet droge bliue IV. ſ.

VVe dele vvorpen vvort dat he valle. III. ſ.

maket he ſick vuel in den sloet off dreck. oick. III. ſ.

Van begeten.

De hoechſte begetinge is myt peper moes. off myt beten ſade. VII. ſ.

De ander begetinge is myt pyſſe off myt yere. V. ſ.

De

De derde is myt water off byer. *I. ſ.*
Is in den slaep gedaen. een derde part meer.
We den anderen ſchencket piſſe voer byer. *II. ſ.*
We den anderen ſchencket water voer byer. *I. ſ.*
We den anderen vnweetlicken anſpyet. *I. ſ.*
We den anderen in de mondt piſſet. *VI. ſ.*

CAPVT

CAPVT VII.

Quid ſit SILAVE *in Lege Salica Tit. LVIII. §. IV. &* RABANAL *Tit. XLIV. §. X. expenditur.*

Reuocant me diuergentem iterum aenigmata legis Salicae Malbergica. Quaeram, quid ſit *Silaue* Tit. LVIII. §. 4. vel potius, cur ita dicatur porticus ſepulcri. Sic enim ipſa lex vocem interpretatur: SILAVE, *quod eſt porticulus ſuper hominem mortuum.* Neque tamen haec eſt proprie Malbergica vox, aut manu Gloſſatoris inſerta, ſed ab ipſo legis conditore additam eſſe crediderim. Occurrit certe in editionibus Salicae Legis, quae ceteroquin Malbergi Gloſſis carent, & in ipſa repetita praelectione Caroli M. Sed ibi *ponticulus*, non *porticulus* dicitur, (a) quod ego non capio, quicquid afferat Franciſcus Pithoeus ad hunc locum de clypeo cadaueribus ſuperponi ſolito. Neque video, quî poſſit in voce *Silaue*, quantacunque diligentia linguam noſtram excutias, pons reperiri; porticus autem, vt mox dicemus, facilius haberetur. Malo igitur codices ſequi, quorum lectione ſeruatur *porticulus*. Quaeritur, cur dicatur *Silaue?*

Fran-

(a) Lex Salica a Carolo M. emendata edit. BALVZ. p. 318.

Franciſcus Pithoeus, qui Germanis columnam vocari *Seule* ex nomine *Irmenſulae* didicerat, hanc ipſam linguae noſtrae vocem in *Silaue* latere cenſuit, &, vt video, ſequitur eum Schilterus. (b) Ego nollem huic *columnae* inniti, qui ne *pontem* quidem tutum eſſe credidi, quamuis quorundam codicum auctoritate ſuffultus ſit. Nihil de *columna* lex, ſed de *porticulo*. Mallem igitur ab *ave*, *bave*, quod nunc dicitur *hoff*, & a voce *Sela*, *Siala*, *Sila*, vt veteres Franci & Anglo-Saxones efferebant noſtrum *Seel* anima, (c) totum illud *Silaue* deducere. Iam Eccardus vidit, primam vocis partem *Sil* ad *animam* referendam eſſe, alteram vero ex noſtro *laube* i. e. vmbraculum, depromit, quam veroſimiliter, videant, quibus eſt ius de coniecturis iudicandi. Nimirum vetat Lex, ne quis monumenta ſepulcri diſiiciat, & inter ea eſt *Silaue* i. e. porticulus ſuper hominem mortuum. Numquid vero credibile videtur, ex ramis & foliis ſepulcrorum honores, quos durare inſtituti ratio cupiebat, conſtructos eſſe, cum eos quaeuis aura verrere potuiſſet ac diſiicere. Atqui ſi Eccardianum *Laube* ſequaris, non video, quî carere poſſimus frondibus & ſertis, & monumento venti cuiusuis iniuriis

S ex-

(b) PITHOEVS Gloſſar. ad Salic. p. 701. SCHILTER. Gloſſar. p. 63.

(c) WACHTER. in v. Seele.

expoſito. Supereſt igitur, vt ab *bave* & *boff* illum *porticulum animae* repetamus; cur autem monumenta ſepulcralia tale nomen manſerit, quia non inquiſiuit Eccardus, paucis videamus.

Vetus eſt & multorum teſtimoniis celebrata opinio, manes vagari circa ſepulcrum, nec tantum poëtae tale quid ſomniarunt, verum & philoſophi; certe de animabus vilioribus & non ſatis puris Platonicos ita cenſuiſſe dubio caret. Sic enim in Phaedone ſuo Plato (d) Ἡ τοιαύτη ψυχὴ βαρύνεται τε καὶ ἕλκεται πάλιν εἰς τὸν ὁρατὸν τόπον φόβῳ τοῦ ἀιδοῦς τε καὶ ἅιδου, ὥσπερ λέγεται ΠΕΡΙ ΤΑ ΜΝΗΜΑΤΑ ΤΕ ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΤΑΦΟΥΣ ΚΑΛΙΝΔΟΥΜΕΝΗ· Περὶ ἃ δὴ καὶ ὤφθη ἄττα ψυχῶν σκιοειδῆ φαντάσματα, οἷα παρέχονται αἱ τοιαυται ψυχαὶ εἴδωλα, αἱ μὴ καθαρῶς ἀπολυθεῖσαι, ἀλλὰ τοῦ ὁρατοῦ μετέχουσαι, διὸ καὶ ὁρῶνται. *Anima talis grauatur & rurſus ad viſibilem trahitur locum metu inuiſibilis atque occulti. Et quemadmodum fertur*, CIRCA MONVMENTA SEPVLCRAQVE *verſatur, circa quae iam nonnulla apparuerunt animarum vmbroſa phantaſmata, qualia praeferunt ſimulacra tales animae, quae videlicet non purae deceſſerunt a corpore, ſed viſibile aliquid trahentes, quo fit, vt videri poſſint.* Alia Graecae Romanaeque ſuperſtitionis in hac re veſtigia, cum occur-

(d) PLATON. Phaed. p. 61.

occurrant frequentiſſima & iam a pluribus annotata ſint, non deſcribo. Crediderunt hoc etiam barbari, nec aſſignari poteſt alia ſacrificiis epulisque maiorum noſtrorum more ad ſepulcra mortuorum celebratis origo. (e) Plane Islandi etiam Manes vocabant *Haugbue* i. e. *incolas tumulorum* (f) ab *haugur* tumulus, & *bua* inhabitare. (g) Neque ſtatim delere potuit religio purior hanc de vagantibus circa tumulos Manibus perſuaſionem, quin potius hic error inter Chriſtianos frequentes ad ſepulcra ſupplicantium concurſus excitauerit, vt palam eſt ex illis teſtimoniis, quae ad Saeculum V. hiſtoriae chriſtianae hanc in rem adducit ingens temporum noſtrorum decus Io. Laurentius Moshemius. (h) Inde etiam ſuam habet explicationem Eliberitani concilii, quod a. CCCXV. congregatum eſt, canon: (i) *Cereos per diem placuit in caemeterio non incendi. Inquietandi enim ſpiritus ſanctorum non ſunt;* neque erat, cur aliam interpretandi viam quaereret eruditiſſimus DV PIN. (k) Quapropter cum ille tot

(e) V. ECCARD. Franc. Oriental. Tom. I. p. 408. KEYSLER. antiqu. Septentr. Cap. V.

(f) STEPHAN. not. ad Saxon. Grammat. p. 15.

(g) V. Diction. Island. in HICKESII Theſaur. lingu. Septentr. Tom. III. p. 74. ſq.

(h) MOSHEMII Inſtit. hiſt. chriſt. antiqu. Sect. V. P. II. C. III. §. 2. p. 385.

(i) HARDVIN. Acta Concil. Tom. I. p. 254.

(k) DV PIN Bibliotheque des auteurs eccleſiaſtiques. Tom. II. p. 305.

le tot ſaeculorum & tot gentium error de animabus circa ſepulcra ſuorum corporum vagantibus multos peperierit ritus ſuperſtitionis pleniſſimos, quidni credibile eſſet, ex eadem cauſſa a *Sila* & *have* vel *hoff* illud *Silave* dici *porticulam* vel *domunculam animae*, plane vt Impp. in *L. 4. C. Theod. de ſepulcr. violat.* tumulos dixerunt *Manium aedificia.* (l) Sic eadem compoſitionis ratione olim *Sialaſceat* erat *pecunia pro anima ſoluenda*, (m) ſimiliter *ſel loſunga* eleemoſynae, (n) & quae ſunt recentioris vſus *Seel-Bad*, *Seel-Spenden*, *Seelgeraeth* &c. Immo ne nunc quidem extra omnem vſum poſita eſt vox *Seel-Hauſs*, quamquam alio gaudet ſignificatu, ac quondam *Silave.* Sic enim, certe non ita pridem, alicubi vocabantur aedes, in quibus ſenes decrepiti, vmbrae magis quam homines, alebantur, ſed quos aetas ſola, non etiam morbus reddebat infirmos. Nam his deſtinatus locus *Siech-Hauſs.* Qui autem illi ſilicerniorum receptaculo praeerant, quaſi non viuos ſed manes curarent, dicebantur *Seel-Vaeter*; (o) & haec ſunt, quae mihi ad vocem SILAVE inciderunt.

Non

(l) conf. IAC. GVTHER. de iure Man. Lib. II. Cap. XX.

(m) WATTON. conſpect. theſaur. Hickeſ. p. 35.

(n) NOTKER. Pſalm. LXXXIII. 4.

(o) KNAVTH. Alt-Zelliſche Chron. P. III. p. 167.

Non inopportunum erit, poſt ſepulcrorum honores etiam de cadauerum & oſſium infamia, & de capitibus ad ſpectaculum affixis quaedam adieciſſe. Ait Lex Tit. XLIV. §. 10.

Si quis caput de homine, quod inimici ſui in palum miſerunt, ſine voluntate alterius depoſuerit. MALB. RABANAL *DC. den. qui faciunt ſol. XV. culpabilis iudicetur.*

Ad haec verba Eccardus monet, antiquum fuiſſe ritum, vt capita facinoroſorum hominum exemplum, datura palis affigerentur. Quae quamuis vera ſint, valde tamen ab huius capitis ſententia recedere nemo non videbit, qui legem noſtram, quam ille de ſupplicio accepit, ad vindictam priuatam & inimici crudelitatem pertinere intellexerit. Priſcis temporibus, quibus inimici caedes non ſolum ſaepenumero ſine poena, verum etiam interdum cum laude coniuncta erat, non mirum eſt, lege cautum fuiſſe, ne cui plenus vindictae, qua expoſitis publice inimicorum capitibus ſe ſatiabat, fructus deiectis & forte ſepultis, quae ſpectaculo fuerant, oſſibus interuerteretur. Variis enim modis veteres caeſorum capitibus inſultabant. Nunc enim craniis loco poculorum vtebantur, Septentrionales praeſertim in Odini cultu, quod Regnerus Lodbrock in carminibus ſuis de Valhallae deliciis exprimit: (p)

(p) BARTHOLIN. antiq. Dan. p. 558.

Dreckom bior at bragdi
or biugvidam hauſa ;

Bibemus cereuiſiam breui
Ex concauis craniorum poculis.

Nunc capita pilo fixa circumferebant, quale quid etiam apud Romanos vſitatum erat, velut Imp. Septimius Seuerus caput Peſcennii Nigri pilo circumlatum Romam miſit. (q) Nunc ad ſpectaculi diuturnitatem publice in pilis vel palis exponebant. Plane integris cohortibus tale quid in medio, quod dicimus, aeuo contigit, vt Guilermus Brito de Ioannis comitis facinore, quod Eboraci commiſit, memorat: (r)

Euocat e latebris armatos protinus Anglos,
Interimitque viros ſub eadem clade trecentos
Et palis capita ambuſtis affixit.

Qualia cum iuerint in morem pro temporum crudelitate paene legitimum, vetat lex, *ne quis eiusmodi capita deponat*, & addit Gloſſator : *Rabanal.* Francis, vt recte monitum eſt ab Eccardo, *Nal* dicitur *caput* & interdum ſinciput. Similiter *nol* & *knol* vertex, & quicquid ſublime vel editum eſt, Anglis *jobbernol* capito, vel qui capite magno conſpi-

(q) AEL. SPARTIAR. Neſen Nig. Cap. V.

(r) GVIL. BERITON Philipp. Lib. IV. v.

ſpicuus incedit, vt bene obſeruat Wachterus, (s) & ſic in poſtrema Gloſſae parte nihil dubii remanet. *Raba* Eccardus a noſtro *rauben*, rapere, deducit; an recte, dubitauerim ex cauſſa non vna. Neque enim in hoc facto quicquam rapinae ſimile reperiri putauerim, & intempeſtiua videtur huius nominis applicatio, ſi nullum omnino fieri poteſt lucrum, quod vtique nemo faciet in exſangui cranio. Romani quidem eiusmodi facinus furtum dixerunt, certe apud Lucanum (t) oſſa filiorum & laceros artus & capita

miſerorum dextra parentum
Colligit, & pauido ſubducit cognita FVRTO.

Sed vt de poëtico iure nihil dicam, quod clam fit, *furto* factum eſſe, ſaepiſſime dicitur, nec excuſaret hic locus ab ἀκυρολογίας reprehenſione, ſi deiectionem & ſepulturam cranii diceres rapinam. Ipſe Eccardus parum coniecturae ſuae robori fiſus aliam profert, & *rabahal*, quod eſſet *rabhohlen* legi mauult. Sed vt de mutata ſine neceſſitate ſcriptura taceam, cum de capite mortui hominis deiecto lege ſanciatur, & *nal* caput ſignificet, feramus certiſſimam lectionem, *Rab* vero vel *Raba* interpretemur, quod ſaepiſſime ſignificat, *cadauer*. Eo Islandicum *brae*, Saxonumque

 infe-

(s) WACHTER. Gloſſar. v. Nal.

(t) LVCAN. Pharſal. Lib. II. v. 168.

inferiorum *reef* ſpectat, & hinc *rabe* coruus, quoniam cadaueribus paſcitur, nomen ſuum obtinuit. (n) Quare, vt paucis dicamus, *Rabanal* lingua vetuſta nihil aliud eſt, quam quod noſtra dicimus *Todtenkopf.*

CAPVT VIII.

Iterum aliquot Gloſſae Malbergicae ex lege Salica expenduntur, vt THEOPHANO *Tit. VI. §. 3.* CHVNNOVANO *ibid. §. 4.* HVICHTE *Tit. XLI. §. 5.* CHANCO *ibid. §. 1.* STALA STHIO *ibid. §. 16. &* ABAZYM PEDERO *Tit. III. §. 6.*

Nunc audiamus ex lege Salica, niſi moleſtum tibi ſit,

quid Hylax in limine latret. (a)

De canibus ſollicitos fuiſſe legislatores populi venationis ſtudioſiſſimi, & qui in furum graſſatorumque frequentia ſaepe nonniſi miniſterio canum tutus erat, quis mirabitur, cum curam demiſerint, vt ſupra vidimus, ad porcos & capellas. Canes vero, quorum nomina, virtutes, & pretia Legis Salicae Tit. VI. continentur, ad duas ſpecies reduci poſſunt. Sunt enim vel venatici, vel cuſtodes aedium non minus quam gregum; & haec eſt vetus officiorum caninorum diſtributio, velut etiam apud

(n) WACHTER. v. Rabe coruus & cadauer.

(a) VIRGIL. Eclog. IIX.

apud Artemidorum (b) τῶν κυνῶν οἱ μὲν ἐπὶ θήραν (ſic enim legendum eſſe Gatakerus (c) recte monet, non θύραν) τρέφονται, οἱ δὲ ἐπὶ φυλακῇ τῶν κτημάτων, οὓς οἰκουρούς καὶ δεσμίους λέγομεν. *Alii canes aluntur venationis cauſſa, alii ad cuſtodiam rei familiaris, quos domus cuſtodes dicimus & catenarios.* Venaticorum canum Boioarii & Alamanni plures iterum veluti claſſes in legibus ſuis ſeruant, vt *leithundt*, *triphundt*, *bibarhundt* &c. Nos de Salicis tantum, nec de omnibus dicamus, & primum quidem ad Tit. VI. §. 3.

Si quis canem, qui ligamen nouerit, poſt ſolis occaſum occiderit MALB. THEOPHANO *vel* REPPOPHANO *DC. den. qui faciunt ſol. XV. componat.*

Canis, qui ligamen nouit, dupliciter accipi poteſt, vel *catenarius* οἰκουρὸς, θυραωρὸς, *praeſidium domus & familiae*, (d) & vt in recentioribus noſtratium iuribus interdum appellatur, *Hoffwarth*, *Ketten-Hund;* vel qui ligamine cum alio iunctus & conſtrictus eſt, *Kuppel-Hund.* Et ſuſpicor, binas Malbergi, quae huic capiti acceſſerunt, Gloſſas duplicem illum ſignificatum inuoluere. Nam quod ad po-

 ſtre-

(b) ARTEMID. Oniro-crit. Lib. II. c. XI.

(c) GATAKER. Miſcell. Poſthum. Cap. XXXVIII. p. 827.

(d) PETRON. Satyric. Cap. 64. p. 321.

ſtremam *Reppophano* attinet, facio cum Eccardo, & res ipſa loquitur, quod a voce *rep*, i. e. funis vel reſtis, de qua iam alias diximus, (e) deſcendat. Sed vnde ſit *Theophano*, quaeri poteſt. Et hic ab Eccardo diſſentio, qui fluitante coniectura vocem nunc a *theven* & *thöven*, quod interpretatur *expectare*, deducit, & valde peregrinam ſententiae ſuae rationem reddit, quod eiusmodi canis circumducatur fune, & *expectet*, donec a venatore feris immitteretur; nunc lectionem mutat, & vnam tantum Malbergi gloſſam ad hoc caput pertinere cenſet, *Reppophano* nimirum, ex quo ſcriba imperitus feciſſet *Theophano*. Talibus adſurgat dictis, qui poteſt. Ego, ſi liceret *Theotphano* legere, deriuarem vocis origines ex antiquo *theodan*, quod poſtea noſtrates *deuten* dixerunt, (f) & *coniungere*, *colligare* ſignificat. Obtinuit, vt hoc vocabulum de coniunctionibus arctiſſimis, veluti quae ſunt inter maritum & vxorem, aut inter fratres, vſurparetur. Ac ſi eius incunabula in ſermone Graeco quaerenda ſunt, vt quaeſiuit Wachterus, mallem ad verbum Δέω *vincio*, *alligo*, quam cum doctiſſimo viro ad Θίασον *coetum & chorum* recurrere. Igitur κύων δέσμιος idem eſt, qui in lege Salica *Theotphano, qui ligamen nouit*. Hoc autem no-

(e) Lib. II. Cap. III. (f.) WACHTER. in v. deuten.

nomen non raro occurrit, vt in verbis Artemidori, quae modo deſcripſimus οἰκούρους καὶ ΔΕΣΜΙΟΥΣ, & in Antipatri Epigrammate (g)

οὔτε κύων ἐν προθύροις ΔΕΔΕΤΑΙ,

& apud Petronium (h) *canis ingens catena* VINCTVS. Ita forte commodius obſcuram Malbergi Gloſſam indagaremus in *theodan* coniungere, vincire, quam in *thoüen* expectare. Siue igitur canem catenarium & ad ianuam alligatum, ſiue cum alio vinctum & connexum in his verbis, *qui liganen nouit*, intelligas, vtroque modo coniecturae noſtrae ſupererit vſus. Pergit lex §. IV.

Si vero agutarito furauerit, MALB. CHVNNOVANO *DC. den. qui faciunt ſolid. XV. culpabilis iudicetur.*

Valde ſollicitos habuit Eccardum & Schilterum & ipſius legis ſententia, & gloſſa. Nam neque cuius canis ſpecies eo capite contineatur, neque quid ſit *Chunnavano*, perſpicuum eſt. Eccardus de vertago vel cane venatico accipit, & vt in *Chunnowano* vocabulum *Windhund* reperiat, hoc ſtemma genealogicum texit *windhund*, *chindohund*, *chunnohund*, *chunnohuand*, *chunnovand*, CHVNNO-

(g) Antholog. Lib. VII. Epigr. 161.

(h) PETRON. Satyr. Cap. XXIX. conf. viros doctos ad hunc locum, & COLERI Parerga Cap. XVI.

NOVANO. Quis ad haec riſum teneret? Schilterus (i) *argutarium canem*, qui clamore ſuo feras excitaret, intelligit; *Chunnowano*, autem a *Kund* vel *kundmachen*, & a *Weiano*, quod eſt *auis venatica*, vel vt nunc dicitur *Weihe*, deducit. Sic nouum habemus monſtrum, canem alatum, accipitrem quadrupedem. Tu dic, quibus in terris ille volitet.

Miror, incidiſſe neutri, quod in Celtarum lingua, quae plurimas Francici ſermonis & tot Gloſſarum Malbergicarum origines continet, *chun* & *kun* dicatur *canis*, (k) & vt cum Celticis multis multa Graeca conſpirant, ita & huic voci reſpondere vocabulum κύων. *VVano* in eadem Celtica lingua ſignificat *ſollicitum*, & in Scandica *VVanda* eſt *ſollicite aliquid agere* vt Verelius docet. Germanis *Dagewano* diurnae ſollicitudines & operae. (l) Sic *Chunnowano* canis vigil & ſollicitus. Atqui vigilantiae ſignum in canibus nullum aliud habemus quam *latratus*. Et hinc *chunnowano* in latino legis textu dicitur *agutaritus* vel *argutaritus*, ab *arguta voce*, vt ſaepiſſime hoc epitheton vſurpari omnes norunt. Itaque, ſi quid video, Lex Salica Tit. VI. §. III. & IV. de vno eodem-

(i) SCHILTER. Gloſſar. Celt. p. 335.
p. 175.
(k) PEZRON. antiqu. (l) V. SCHILTER. Gloſſar. p. 196.

demque cane, ſed diuerſis temporibus vel caeſo vel ablato agit, ac primum quidem *ſi poſt ſolis occaſum* occiſus ſit §. III. inde ſi vigil & experrectus abductus fuerit §. IV. mulctam defi nit. Vtrumque vero caput ad vnam ſpeciem pertinere vel ex illis connectendi voculis *Si, Si vero*, manifeſtum eſt. Quapropter non accedere poſſum Eccardo, qui vertagum vel canem venaticum ſubſtituit. Nam quamuis Lex Salica Caroli M. iuſſu reuiſa *canem argutaritum* alio loco explicet *veltrem leporarium*, hoc tamen inde factum eſt, quoniam omnes canes, qui *arguta* voce, ſiue ad domum tuendam, ſiue ad excitandas feras beſtias & praeſertim lepores, vtuntur, *argutaritorum* generali nomine veniunt, non vnice illi, quorum in venatione leporum vſus eſt. Ita etiam praeter legem neceſſitatis, quae vna tamen & ſola eſſe debet corrigendi & lectionem immutandi cauſſa, Salmaſius & eum ſequutus Eccardus, *argutarium* mutarunt in *acutarium* ſeu ὀξύποδα *velocem*. Nam vt cetera, quae obſtarent, taceam, illud vnum ſufficere poſſet, quod in Gloſſa *Chunnovano* nullum *canis velocis* veſtigium exſtet, niſi forte cum Eccardo, poſtquam eam torſeris & retorſeris, duriſſimo ac prope ridiculo conatu inde conficias *VVindhund*.

Quare maneamus intra tutiſſimos cancellos, & ſalua codicum ſcriptura *Chunnovano* dica

dicamus *canem vigilem*, quae non vltima huius beſtiae laus eſt. *Argutaritum* ob *argutam vocem* dicas, ſeu plane ob indolem, qua multas beſtias antecedit, erectam, perinde erit. Vtramque huius nominis rationem Nonnus coniunxit. (m)

Εἰσὶ καὶ ἐν σκυλακέσσιν ΕΧΕΦΡΟΝΕΣ, οἷσι Κρονίων
ΑΝΔΡΟΜΕΗΝ ΦΡΕΝΑ δῶκε, καὶ οὐ βροτέην πάρε ΦΩΝΗΝ.

Et quid miremur, de cane argutum ingenium laudari, qui plane ex quorundam ſententia *ſapiens erit & rex*. Ipſe Plato (n) canem *philoſophum*: dicit ΑΛΛΑ μὴν κομψόν γε Φαίνεται τὸ πάθος αὐτῆ (τῆ κυνὸς) τῆς Φύσεως, καὶ ὡς ΑΛΗΘΩΣ ΦΙΛΟΣΟΦΟΝ. *At enim videtur hic naturae ipſius affectus ingenuus ac vere philoſophus;* Regem vero qui facere voluerint canem fuiſſe populos, fama vel fabula eſt; (o) & cum aliqui auguſtum nomen *Chan*, *Kong*, & *Konig* a Celtico *Chun* deſcendiſſe ſomniarent, factum eſt, vt inde perſuaſio de *canibus regibus* & de populis Κυνοκεφάλοις naſceretur. (p) Quicquid harum rerum

(m) NONN. Dionyſ. Lib. XVI.

(n) PLATO de republ. Lib. III. p. 603.

(o) REINES. Var. Lect. Lib. I. Cap. XVI. p. 60.

(p) OTH. SPERLING. de regio nomine & titulo Konning. p. 16. ſeq.

rerum ſit, quantacunque poſtea caninum genus & nomen infamia manſerit, vt *canem geſtare* ignominioſiſſima poenarum figura duceretur, inter homines tamen plebeios & ruſticos, qui non parum vtilitatis ex eorum miniſterio capiebant, magnum omni tempore habuerunt pretium. Hinc canes in epiſtolis ſuis ad familiares ſalutabant, vt Aelianus (q) *τὴν ὄϊν παρ' ἐμοῦ πρόσειπε, καὶ τῶ βοϊδίω, καὶ τὴν κύνα. Ouem meo nomine ſalutes, & bouum par, & canem;* & ad conuiuium cum tota familia inuitabant, velut apud Alciphronem (r) Euſtachys filii natalem celebraturus Pythacionem vicinum inuitat, *καὶ τὴν γυναῖκα καὶ τὰ παιδία, καὶ τὸν συνεργαστον· εἰ βούλοιο δέ, καὶ τὴν κύνα, & vxorem, & liberos, & ſubulcum, & ſi velit, etiam canem,* ad quem locum legendus eſt Stephanus Berglerus. Haec ideo dicta ſunto, vt hinc ſciamus, ex quibus cauſſis canis vigil & ſollicitus dici poſſit *argutaritus* ſeu *Chunnowano.*

Longe grauius furtum, vel potius abigeatus eſt, de quo Lex Salica Tit. XLI. §. V.

Si quis admiſſarium cum grege, hoc eſt cum VII. aut XII. equabus furauerit, MALB. HVICTHE SONISTHA *MMDC. den. qui faciunt ſolid. LXII. cum dimidio culpabilis iudicetur.*

Iam

(q) AELIAN. Epiſt. III. Lib. III. 18. p. 316.
(r) ALCIPHRON. Epiſt.

Iam aliàs dixi, legis Salicae conditorem in definiendis furti & praeſertim abigeatus mulctis hanc viam ſequutum eſſe, vt primum in ſingula capita pretium ſtatuat, poſtea in gregem; quot vero capitum numero grex componatur, pro diſcrimine beſtiarum varie determinet. Itaque Tit. XLI. qui eſt *de furtis caballorum*, primum de ſingulis ſed non vnius pretii equis, eo vero, quod deſcripſimus, capite de grege abacto ſancitur. In verbis nihil eſt obſcuri, neque quid ſit SONISTHA quaerere opus eſt, quam vocem in Lege Salica paſſim obuiam Eccardus Francorum lingua *gregem* ſignificare, quantum ſatis eſt, demonſtrauit. Sed prima vox HVICTHE turbas mouet, aut mouit eas potius in media quiete noſter interpres. Ait, HVICTHE vocabulum eſſe Franco-Gallicum, quod hodie durat in Gallorum lingua, *huit* octo. Vt hoc credas, deuoranda tibi adhuc eſt legis latinae correctio. Nam quando illa gregem VII. vel XII. equis conſiſtere ait, Eccardus contra, vt illud ſuum *octo* ſaluum habeat, breui computo reſtituit VII. vel VIII. Sed pauperis Critici eſt, ita numerare pecus. Supererat vero, vt poſt tot iniurias in voces ſyllabasque commiſſas aliquid etiam ferrent numerorum notae. Praeterea veteres Franci, vt loquebantur eo, quo Malbergi Gloſſae condebantur, tempore, *octo* non *huichte* ſed *Actoe* dixerunt.

runt. Sic in ipſa lege Salica (s) *CC. ſolidi* exprimuntur *Actoe tuſunde* i. e. *acht tauſend;* conficiebant enim VIIIM. denarios. Poſtea etiam diu obtinuit, vt haec vox efferretur *abt*, vel *abta;* (t) adeoque ſeu latina legis verba, numerorumque notas, ſeu linguae reſpicias analogiam, offendes pedem cum Eccardo duce. Ego, vt binis verbis ſententiam dicam, cum viderem, hac lege coërceri abigeatum *gregis equarum* & ſimul *admiſſarii*, hunc vero, vt aliàs inter capellas caprum, *ducem gregis* & *caput gregis* appellari ſcirem, exiſtimaui, HVICTHE non aliam eſſe vocem, quam Francicum vetus *Houbit* vel *houit*, (u) & cum conſueta gentis adſpiratione *houichte* i. e. caput. Sic haberemus vtrumque, quod lege continetur, furtum, *admiſſarii* ſeu *capitis*, HVICHTE, & *gregis*, SONISTHA, & ita rationes componentibus nec accreſcit quicquam numero gregis, nec decreſcit. Qualia, ni fallor, praeſtabunt Gallico *huit*.

Qui caput legis de grege non adeo feliciter explicauit Eccardus, haud multo felicior eſt in altero de ſingulis equis. Ait lex Tit. XLI. §. I.

Si quis caballum, qui carrucam trahit, fu-

T *raue-*

(s) Lex Sal. tit. LXXX. §. IX.
(t) SCHILTER. Gloſſar.
(u) WACHTER. Gloſſar. v. Haubt.

rauerit; MALB. CHANCO *MDC. den. qui faciunt ſol. XL. culpabilis iudicetur.*

Ego, inquit Noſter, *emendo* CHAR CIHO *vel* CHAR ZIHO; nimirum vt *char* ſit idem ac *ſchar*, vel aratrum, *Ziho* noſtrum *ziehen;* quo ita inde naſceretur equus *carrucam trahens.* Et carebimus tamen violentiſſima correctione, memores, quod *nack*, *naco*, & *hnaco* deſignauerit olim equum a *hnaegan* hinnire. (x) Sic in eodem Tit. XLI. §. 10. pullus dicitur *nare*, quod Eccardus more ſuo mutat in *vale*, vel *fole*, Wachterus autem legendum eſſe *nake* rectiſſime monuit. Similiter itaque vnius literulae transpoſitione habebimus *Chnaco*, vel equum, quod miror non vidiſſe Eccardum, cum de vſu vocis *naco* quaedam non proletaria in eodem tit. XLI. §. IX. adtulerit, & melius ad hunc §. I. adduxiſſet, quam illud ſuum *Char ziho.*

Occurrit denique in eodem Tit. XLI. alia Gloſſa Malbergica *Stalathia*, vel vt paullo aliter, legitur *Eſtalathia* & *Stalaſthia*; vbicunque vero Gloſſator eam adſcripſit, ibi lex ſimul de iumentorum furto & de vulneratione eorundem agit, vt in § XVI.

Si quis per ſuperbiam aut per inimicitiam caballos aut in mente aliena tribauerit vel debilitauerit, MALB. STALASTHIA.

Sic

(x) WACHTER. v. Nack.

Sic iumentorum furtum & vulnera coërcentur §. XI. & XII. atque tunc inuenies iterum *Stalathia.* Pertinent Eccardi coniecturae, quas ad hunc locum adtulit, inter eas, quae non minus auctoris sui nomine, quam refutatione indignae sunt. Legit autem *Stuot triba* i. e. *Stutten treiben*, quod quam procul a codicum scriptura recedat, cur dicerem in re manifesta? Sed & hoc praecipuum eius vitium est, quod in binis, vbi occurit vox, locis §. XI. & §. XVI. nihil omnino de *equa*, sed in vniuersum de iumentis caueatur. Dixi, Glossam illis praesertim legibus adpositam esse, quibus simul & *furta* iumentorum coërcentur, & *vulnera.* Nam quod in capite descripto occurrit *debilitauerit*, illud ad vulnera pertinere, peruulgatum est. *Stala* vero & *Stela*, vnde nobis *Steblen* & *Diebstahl*, sexcenties in monumentis Francici sermonis occurrunt. *Sthia* neminem tenebit ancipitem, qui in Glossario Romano-Theotisco, cuius supra (y) mentionem fecimus, legerit *punge* STIH. Itaque *pungere* foret STIHA, & sic habes, iumentorum furtum STALA & vulnera STHIA.

Iterum in alia Glossa de furtis vaccarum facere non possum cum Eccardo. Lex est Tit. III. §. 6.

(y) p. 18.

Si qui vaccam domitam furauerit, MALB. ABAZYM PEDERO *MCCCC. qui faciunt ſolid. XXXV. culpabilis iudicetur.*

Credo, non adeo multos fore, quibus non ſuboleat ſtatim, Gloſſam *Abazym*, cum vaccam *domitam* ſignificet, magnam cum noſtro *abzäumen* ſimilitudinem habere. Nec aliter accipienda mihi videntur verba legis, quam quod in eum furem, qui iunctam vehiculo, vel aliàs domitam vaccam ſoluerit & ſecum abduxerit, mulcta conſtituatur. Et tamen haec, forte quod aperta nimis, faſtidit Eccardus. Putat enim pro *Abazym* legendum eſſe *Iochazym*, quod ex multis cauſſis diſplicere vnicuique poteſt. Nam praeter illam frequentem, & qua fere rauci facti ſumus, de violentia querelam, quid opus eſt illud *Iocha* vel *iugum* inuitis codicibus intrudere. Numquid enim vaccas filo ſerico domamus, vt opus fuerit lectorem monere, ne aliter, quam *iugo*, domitam intelligeret. Amemus ſimplicitatem, & quoniam lex vetat vaccam iunctam vel aratro vel vehiculo abducere, maneamus in illo *abazym*, vt explicuimus, *abzäumen* vel *abſpannen*. Quid ſibi velit altera vox *Pedero*, fatebor lubens, me neſcire, quamquam ea praeter hunc locum etiam in aliis multis occurrit. Vbiuis autem vel vitulum ſignificat, vel vaccam vel equi pullum. Eccardus, vt eam interpretetur, plane

plane Heſperiam conſulit. Ait enim Hiſpanorum lingua *bezerro* vitulum eſſe, cuius primam literam, ſi paullo durius pronunciaueris, haberes *pezerro*, inde ſupereſſe, vt alia eiiciatur, alia mutetur, quo tandem fiat *pedero;* tanti erat Iberos adiiſſe! Ac ſi cetera, quae poſſent obtendi, mitteremus, illud tamen difficile dictu foret, quì poſſet illud vocabulum etiam vaccis & equorum pullis adplicari, cum per origines ab Eccardo demonſtratas ſoli conueniret *vitulo*. Wachterus *pedero* vertit *ambo*,(z) quod eſt noſtrum *beyde*. Ac ſane apud Keronem eſt *pedero* vtrumque, & in iureiurando Ludouici & Caroli (a) legitur: *ind unſer* BEDHERO *gehaltniſſe* i. e. *& ad vtriusque noſtrum conſeruationem*. Sed haec viri praeſtantiſſimi explicatio locum haberet, ſi Gloſſa *pedero* nonniſi ad Legis Salicae Tit. III. §. IV. legeretur. Nam in eo capite vetat lex, ne quis vaccam cum vitulo furetur, & cum his verbis *binae* contineantur beſtiae, facile credi poſſet, *pedero* ſignificare *vtramque*. Sed quoniam aliàs quoque repetitur, & in illis capitibus, quae de ſingulis tantum vel vitulis, vel vaccis, vel hinnulis agunt, vbi procul habere debet ſignificatus *vtriusque*, iccirco amplius deliberandum eſſe cenſeo.

(z) WACHT. Gloſſ. v. Schmat.

(a) LEIBNIT. Collect. etymol. P. I. p. 181.

CAPVT IX.

De Gloſſa Malbergica MOSEDO, *quae in multis capitibus Legis Salicae obuia eſt. Diſputatur etiam, quid ſibi velit* OPDOPVS *Tit. XXVII. §. 1. 3. &* FERTHEBERO *Tit. XXXVIII. §. 4.*

Moſedo & *Mordo* quod interdum etiam *mordrido* vel *murdrido* ſcribitur, non multum ſono, ſignificatu vero longiſſime diſtant. *Moſedo* in lege Salica, *Mordrido* in ceteris Germanicis ſaepe inuenies, atque vt manifeſto vi & potentia differunt, ita miraberis, Eccardum omnia iterum miſcere, & expuncto *moſedo*, vbiuis in lege Salica reſtituere *mordo*. (a) Et tamen *Moſedo* ſpolium & rapinam, *mordo* caedem ſignificant, quae notiſſimi diſcriminis delicta, quis confuderit ? aut quod interdum magno ſcelere coniungantur, quis ideo commune fecerit nomen ? De voce *Mordo* & *Mordrido* nihil adtinet dicere. Quin enim homicidium indicet, dubitare vetat ſermonis, etiam noſtri ſuperſtes vſus. Quid *Moſedo* ſibi velit, & vnde deſcendat, paullo altius repetendum eſt.

Animaduerti, hanc vocem pluribus Legis Salicae capitibus adſcribi. Nam & Tit. XVI. &

(a) ECCARD. ad Leg. Sal. Tit. XVI. §. I. p. 38.

& XVII. & XX. & XXXIIX. & LVIII. occurrit, & in his omnibus agitur de *exſpoliationibus*. Cauent etiam aliqua capita, quibus haec vox adſcribitur, de ſpoliatis cadaueribus, vt prope ridiculum eſſet reſtituere *Mordo*, & Gloſſam, quae nonniſi ad Leges de caede viuorum officium faceret, inter oſſa depoſitorum ſpargere. Crediderim igitur, notiſſimum & vſu noſtro tritum vocabulum *Mauſen*, furari, non aliud eſſe quam vetus illud *Moſedo*, haud equidem ignarus, celebrem linguae noſtrae interpretem Wachterum non agnoſcere tantam eius vetuſtatem. Is enim *mauſen* translatum eſſe putat a murium ingenio, qui viuerent rapto, furesque domeſtici haberentur. (b) Ego vero putauerim, *mauſen* non de muribus, ſed de felibus dici, nec de murium furto, ſed de ipſorum captura. Sic enim, ni fallor, ſeruat vſus, vt haec vox inter elogia felium, qui muribus capiendis intenti ſunt, cenſeatur, de murium ipſorum factis fere numquam occurrat. Sed cum in vniuerſum inter vocabula, quibus furtum ſignificatur, ſit etiam *mauſen*, & de ſpoliis in Lege Salica ſaepe vſurpetur nomen *moſido*, vix dubitarem, antiquiſſimam eſſe vocem *moſen* furari. Membranae meae iuris Boici referunt inter res, in quibus pignus non poteſt conſtitui, *di pfant*, *di von*

(b) WACHTER. v. Mauſen.

alter verpoten ſind, GEMVSCHT *kelich*, *plutigis gewandt* vbi *gemuſcht kelich*, forte ſunt calices ſacri furto ablati. Tranſiit vocis vſus ad eas beſtias, quae cutem, vel crines, vel plumas ponunt, vt ſolent ſerpentes, cancri, bombyces, & fere omne genus alitum, de quibus dicimus *ſie mauſen ſich*, & de cancris *ein maeuſer* vel *maeuter*. Sic barbara Latinitas vocem *explumare* non minus de aue plumis ſpoliata, quam de homine bonis exuto vſurpat, vt in Chronicis Slauicis: (c) *Ioanes Moltzaen Vaſallus de terra Bardenſi captiuus ductus a duce Magnopolenſi Magno ex leui cauſa* EXPLVMATVS *eſt a duce fere ad mille & octingentas marcas*. Cur itaque non aeque liceret coniicere, *mauſen* de furtis & ſpoliis, & de exutis crine vel pluma brutis animalibus ob aliquam effectus ſimilitudinem vſurpari. Fere vt Italorum lingua *Brullo* dicitur tam is, cui cutis detracta pilique euulſi ſunt, quam qui bonis omnibus ſpoliatus abit. (d)

Inclinat animus, vt obſcurae & variis modis tentatae originis opprobrium *Kalmeuſer* ex eodem fonte deriuem. Hoc enim nomine contemni ſolent

Γραμματικῶν περίεργα γένη (e)
Gram-

(c) LINDENBROG. Script. ſeptentr. p. 231.
(d) FERRAR. Origin. linguae Ital. v. Brullo.
(d) Anthol. II. 10. epigr. 4.

Grammaticorum genus inepte curioſum, quod magno labore in rebus nihili nihil agit, velut ille, qui *caluum depilat*. Ita etiam aliàs eos omnes inceſſimus, qui difficilibus nugis & obſcuris non minus quam inutilibus & irritis conatibus bonas horas perdunt, nec magis, quam qui caprum mulgeret aut glabro crines euelleret, proficiunt. *Caluipilos* non male forſan Latine diceres illos *Kalmeuſer*, cum etiam habeamus *alipilos*. (f) Ita malo, quam cum celeberrimo Heumanno *Kalmeuſer* explicare *Schulmeiſter*, (g) vel cum aliis καλαμοτρωγον, vel cum Wachtero (h) a voce *muten* i. e. mutare, vt ſit *caluus mutator*, qui prope nudus, non habeat, vnde veſtem mutet. Simplicior, ni fallor, & eo nomine verior eſt meus *caluipilus*, praeſertim cum ita explicata vox *Kalmeuſer* magnam habeat ſimilitudinem cum altero eiusdem ſignificationis opprobrio *Tuckmeuſer*. Dicitur enim in multis Germaniae locis tuber horti *eine Tucke*. Italis idem *Zucca*, Graecis συκῆ. Caluus vero cum horti tubere frequentiſſime comparatur. Sic Petronius, (i)

Infelix modo crinibus nitebas,
Phoebo pulcrior & ſorore Phoebi

(f) LIPS. ad epiſtol. LVI. Senecae GROTIVS ad Capell. p. 227.

(g) HEVMAN. Poecil. Tom. I. Lib. II. p. 245.

(h) WACHTER. v Muten.

(i) PETRON. Satyric. Cap. CIX.

At nunc leuior aere, vel rotunde
HORTI TVBERE.

Similiter Itali dicunt *Zucconare* caput tondere; (k) & ſic nobis *Tuckmeuſer* eſt, qui caluum depilat, irrito labore obſcurus, idem qui *Kalmeuſer*. Haec ἐν παροδῷ dicta ſunto, monſtrabunt tamen, *Moſedo* ſeruandum, nec in *Mordo*, vt Eccardi fert coniectura, mutandum eſſe, ſed antiquiſſimam & nunc quoque ſuperſtitem vocem *Moſen* vel *Mauſen* videri, quae optime id, cuius cauſſa ſolet in Lege Salica vſurpari, *exuere* nimirum & *exſpoliare* deſignat.

Adiiciamus his adhuc binas alias furtorum ſpecies. Cauetur lege Salica Tit. XXVII. §. 13.

Si quis rete ad anguillas de flumine inuolauerit, MALB. OBDOPVS *DC. den. qui faciunt ſol. XV. culpabilis iudicetur.*

In eodem titulo §. XVI. *aperire* caſam vel tugurium, quod ſera clauſum non erat, exprimitur per *Obdon*, quod manifeſto idem valet ac noſtrum *Aufthun*, velut etiam Eccardo viſum eſt. *Pus* omnium conſenſu eſt mulcta, nec infrequentem vocis huius vſum in Lege Salica reperies. Inde enim *obrepus*, *An-*

(k) FERRAE origin. Ital. v. Coccuzza.

Andrepus, *Rei pus*, & ſimilia. Similiter ſi quis rete ad capiendos piſces expoſitum *aperuerit*, & piſces, qui forſan eò iam continebantur, extraxerit, *Obdopus* dicitur, i. e. hoc capite contineri *mulctam* ab eo, qui temere & lucri faciendi cauſſa rete *aperuiſſet* praeſtandam. Talia, opinor, non diſplicerent ſimplicitatis amatori, & in mutandis codicum lectionibus religioſo. Aliter viſum eſt Eccardo, qui legit *Olropus* vel *olrubbo*, vt niſi anguillam, certe ſimilem anguillae piſcem *alraupe* conuiuis ſuis apponeret. Sed qui ſic piſcatur, num bene rem expiſcatus ſit, viderint, qui me vident acutius.

Illud praeſtare auſim, ſine neceſſitate Gloſſam Malbergicam corrigi, & aliter, quam oportebat, ab Eccardo explicari ad Tit. XXXVIII. §. 4. Ait Lex:

> *Si quis per malum ingenium in curtem alterius vel in caſam, vel vbi libet, aliquid de furato miſerit, neſciente domino, cuius poſſeſſio eſt, vbi inuentum fuerit, qui hoc miſerat* MALB. FERTHEBERO, *MMD. den. qui faciunt ſol. LXII. cum dimidio culpabilis iudicetur.*

Eſt hoc furtum idem, quod Romani *oblatum* dicebant, vt accurate monuit illuſtr. Heineccius

cius (l) neque ab eadem ſententia valde alienus videtur Eccardus, quamuis illud ſuum *der Heler iſt ſo gut als der Steler*, quippe quod ab huius capitis ſententia procul eſt, immiſcere non debuiſſet. Neque etiam cum eo legerem *ferheleto*, primum, quod ſine neceſſitate lectiones mutare non ſoleam, & deinde, quod ſic ambigua conſtitueretur Gloſſa, neque ſciret Latini ſermonis ignarus lector, vtrum is coërceatur hoc capite, qui furtum alienum occultauit, an qui ſuum inſcio alteri obtulit. Meliora Schilterus adtulit. Nam & abſtinet manum a critico cultro, & retentam lectionem *Ferthebero* interpretatur, vt noſtrum ſit, *verheben*, vel transferre rem furtiuam in domum alterius, quod diceremus *hinüber heben*. Accipi haec certo modo poſſent. Sed eſt in hac coniectura neſcio quid difficultatis, quod intelligi melius poteſt, quam verbis deſcribi.

Vt paucis ſententiam meam poſt egregios viros dicam, illud primum obſeruari vellem, Romanos in furtum oblatum ſtatuiſſe *triplum*, (m) Francos *quadruplum*. Eſt enim lege Salica communis & ſimplex furti poena XV. ſolidorum, quod ex infinitis locis palam

(l) HEINEC. Elem. Iur. Germ. Lib. II. Tit. XIX. §. XXXVII.

(m) PAVLLI recept. ſent. II. XXXI. 14.

palam fieri poteſt. Sic furtum gregis caprarum, generis fere omnis canum, accipitris, turturis, arboris, lignorum, porcorum, nauis, annonae ex molendino, tintinnabuli, hinnuli, cultri, & infinitae ſpecies aliae, mulctantur XV. ſolidis. Quod autem haec ſumma velut ordinaria furti mulcta fuerit, etiam inde patet, quod quando XXX. ſolidi ſtatuuntur, vt in Tit. XXVII. §. 19. adſcribatur Gloſſa *Obrepus*, i. e. *Ober-Buſſe*. Itaque cum LX. ſolidi ſint *quadruplum* mulctae ſimplicis, forte non abſurde diceretur, ad indicandam hanc ſummam tendere quoque ipſum nomen *Ferthebero*, quaſi oblatum furtum eſſet peruerſitate ſuo quadruplex, vel quadruplo luendum. *Fiar*, *Feor*, & *Fer*, Francis ſunt *quatuor*, *Ferto* pars quarta (n) *Thiob* vero, *Teef* & *theb* furem, *thebero* furtum dici, cur in re manifeſta probarem.

(n) SCHILTER. Gloſſar. p. 299.

CAPVT

CAPVT X.

Coniecturae de gloſſis Malbergicis SCHVISARA CHROGINO *Tit. XXVIII. §. II.* & WIDRESA THALO *Tit. XLVIII. §. I. Expenditur etiam, quid ſit* STRINGERE *Tit. XXIII. quid* CHAMNI & MANECHARDE *ibidem.*

Poſtquam lex Salica Tit. XXVIII. §. I. vetuerat, ne quis puerum intonſum occidiſſe velit, vetat etiam §. II. ne quis eum inuitis parentibus tondeat. Primo capiti adſcribitur Gloſſa Malbergi ASCHARA i. e. *intonſus*, & haec nihil difficultatis habet. Altera, quae ſecundae legi adiicitur, aliquanto eſt obſcurior.

Si vero puerum crinitum ſine conſilio aut voluntate parentum totonderit, MALB. SCHVISARA CHROGINO *M M D. den. qui faciunt ſol. LXII. & dimidium culpabilis iudicetur.*

Sequor Eccardum, quando nec barbae primam tonſuram, nec ignominioſam, ſed eccleſiaſticam hoc capite vetari cenſet. Sed quando ad Gloſſam venitur, fateor, quid fugerem in Eccardi explicatione, me multum reperire, quid aliàs ſequerer, parum ſuccurrere. Ille quaedam de corruptione literarum & turbato earum ſitu praefatus *Legendum*

dum, inquit, *audaciter* VAS SCHARA TROGINO. Vereor, vt haec audacia bene ceſſerit. Nam quamuis dubio careat, *fahs* olim capillos, *ſchara* tondere, *trog* idem, quod nobis *trug* fraudem deſignaſſe, neſcio tamen quam commode ex *ſchviſara* faceremus *Vas ſchara*. Schilterus non aliter, ac vulgo legitur, hanc Gloſſam exprimit, vt credibile ſit, in codicibus, quorum lectiones, ſi variant, aliàs inſerit, non aliter ſcriptum eſſe, quam edidit Heroldus. Venit mihi aliquando in mentem, *Schuiſara* legendum eſſe *ſchuigſcara*. Oportet enim per legis verba, vt exprimatur *tonſura* pueri, quae fit *clam*, *inſciis* & *inuitis* parentibus. Quin *ſcara* ſit tondere, nemo dubitabit, poſtquam id prolixe viri docti probarunt, & vocis ſonus noſtro quoque conformis ori rem palam facit. *Schuig* idem eſt ac noſtrum *ſchweig*, (a) quod vero *clam* fit, illud *ſtillſchweigend* factum eſſe dicimus, vnde dici poſſet *Schuigſcara* ſignificare *clam tondere*. Quam meam ſententiam, vt facere quemuis in ſuis etymologiarum ſomniis decet, ſi tibi, lector, aut violenta videbitur, aut non ſatis concinna, repudio.

Illud praeſtare auſim *chrogino* non eſſe mutandum in *trogino*, quod ſubſtituit Eccardus. Et obſeruandum prius eſt, quam lectionis de-

(a) WACHTER. Gloſſar. v. Schweigen.

defenſae rationem reddam, clericos inter Francos eccleſiae Romanae inſtituto *circuli* vel *coronae* figura tonderi conſueuiſſe, more, vt credebatur, S. Petri, cum contra Graeci omnes capillos ponerent exemplo S. Iacobi, & Britones ac Scoti ſinciput tantum ab aure vna tonderent ad alteram, occiput vero crinitum relinquerent, ritu S. Ioannis Apoſtoli. Quae Scoticae Francicaeque tonſurae differentia conſpici poteſt in icone S. Mummoleni & S. Reoli, quam Mabillonius (b) & ex eo in Commentariis de rebus orientalis Franciae depinxit Eccardus. (c) Hinc *coronae* nomen clericorum tonſurae manſit. Prolixe de illo ſignificatu Cangius, (d) qui etiam ex MSCto *le Roman du Renard* verſiculos adduxit:

Se je puis un raſoir trouver
Je Vous voudrai ja COVRONNER.

Huc quoque pertinet ſcomma in Henrici III. Galliae regis tres coronas notiſſimum, quod

tertia tonſori radenda ad clauſtra maneret.

Circulum & *coronam* & quicquid rotundum eſt

(b) MABILLON. Annal. Benedict. Lib. XVI. Cap. 56.
(c) ECCARD. Franc. oriental. Tom. I. p. 270.
(d) CANG. Gloſſar. v. Coron.

eſt antiqua noſtratium lingua dictum eſſe nouimus *chrok* vel *krok*. Inde Suecis adhuc *krökia* curuare, *krok* curuus; inde noſtrum etiam *kragen* collare, ob figuram rotundam. (e) Et ſic in Gloſſa noſtra hoc *chrogino* ſine vlla mutatione interpretarer de rotunda tonſurae Francicae figura. Haec de nouacula doloſa ſufficiant.

Addam aliquid de poena contumaciae, qua coërcetur in Lege Salica, qui citationi non reſpondit, *ſi* SVMIS *eum non detinuerit*. Quod *Sumis* dicatur legitimum impedimentum, & aliàs etiam exprimatur *Sommis*, *Sonia*, *Exonia*, notiſſimum eſt, & alibi (f) prolixe diſputaui. Mulcta vero, quae contumacem manet, eſt MCC. denariorum, & vocatur WIDRESA THALO Tit. XLVIII. §. I. Eccardus reſtituit *Widreſtab lo*, & vertit *reſiſtere legi* a noſtro *widerſtehen* & *lo*, quod in multis originis Germaniae linguis *legem* ſignificaret, vt eſt Danorum *low*, Anglo-Saxonum *lob*, Gallorum *loy*. Satis haec emendatio mitis & modeſta eſt, ſi compares cum aliis, & dubitarem tamen de veritate ipſius ex cauſſa non vna. Primum quod neſciam, an Franci eo, quo Gloſſae noſtrae ſcribebantur tempore, *legem* dixerint *lo*. Nam *Eva* dici ſcio, & in lege Salica aliisque

(e) WACHTER. Gloſſar. v. Kragen.

(f) Diſſ. de legitimis impedimentis ex iure Germanico.

Francorum linguae reliquiis hoc vocabulum vel ſimplex vel cum aliis compoſitum occurrit infinitis locis. *Lo* Francis erat non lex, ſed locus paluſtris & torrentibus irriguus, a vetuſto *La* & *Lan*, quo aquam ſignificari aliàs oſtendimus. Inde terrarum nomina *Ooſterlo*, *Tongerlo*, *Weſterlo*, *Venlo*, *Taſſanderlo* (g) & alia ſexcenta. Procul hinc vero eſt *legis* appellatio. Deinde Gloſſa Malbergica, de qua loquimur, *mulctam contumaciae* certamque *pecuniam* exprimere debet. Eſt autem in Gloſſatoris noſtri ore *mulctae* nomen *chala*, *chalt*, *chalto*, *chalteo*, vt ex innumeris Legis capitibus patet. Ita ſi mihi liceret vnam literam adiicere, quo ſane remedio mihi aeque parum arrogarem quam Eccardus mitis, pro WIDRESATHALO legerem *Widreſatchalo* vt *chalo* ſit, quod *chala* Leg. Salicae Tit. V. i.e. *mulcta*, *widreſat* vero vſitatiſſimum *contumaciae* nomen *wiederſetzen*.

Et quoniam per Legem Salicam vagantes nonnulla hinc & inde decerpimus, age, poſt tot tentatas Malbergi Gloſſas, videamus etiam aliquid de voce Latina *ſtringere*, ac de vniuerſo Tit. XXIII. qui eſt *de manu mulierum non ſtringenda*, quod neſcio, quam vere interpretatus ſit Eccardus de non *ligandis nec loro vel reſte conſtringendis* feminarum ma-

(g) SCHILTERI Gloſſar. p. 551.

manibus. Nam ecce Lex mulctam in eum ſtatuit, qui digitum mulieris ſtrinxerit, DC. denarios. Atqui ſi quis viro digitum *abſciderat*, non plus DC. denariis ſoluebat. (h) Itane vero mulctam vnam eandemque lex ſtatuiſſet, ſi maſculo digitus abſciſſus, & ſi feminae idem tantummodo ligatus eſſet? Scio, in maſculis *pollicem* & *digitum indicem* ſeuerioribus multis defenſum eſſe. Sed rigoris cauſſam nouimus armorum tractationem interceptam, quae quoniam ceſſat in mulieribus, nihil intererat hoc digitorum diſcrimen quoad eas obſeruaſſe. Porro, ſi quis *ſupra cubitum feminam ſtrinxerit*, mulcta eſt MCCCC. denariorum, ſi ſaltem infra cubitum MCC. den. neque tamen, ſi *ſtringere* explices *ligare*, multum refert, quae brachii pars feminae *conſtricta* fuerit. Sin ſtringere eſſet *vulnerare* vel *abſcindere*, tunc vtique differt, ſupra cubitum an infra laeſio ſit. Et quam accurate Friſiones etiam *vulnera* & *debilitates* in brachio ſecundum laeſionis locum diſtinxerint, ex ea, quam ſupra deſcripſimus, tractatione manifeſtum eſt. Accedit, quod in §. IV. huius Tit. mulcta ſtatuatur in eum, *qui mulieri mammam capulauerit*. Eſt autem *capulare* ſecare vel vulnerare. Sic manifeſtum puto, *ſtringere manum mulieri* plus eſſe, quam *colligare*, quoniam cum

(h) Lex Salica. Tit. XXXII. §. 6. 7. 8.

capulatione mammarum coniungitur. Et quae tandem fuiſſet mulctarum proportio, ſi brachium ligare ſolidis XXXV. mammam vero abſcindere non multo grauius, nempe ſolid. XLV. puniretur.

Confirmor in hac explicatione mea, quod quando rationes noſtras ita ponimus, conſpirent etiam Teutonicae Malbergi Gloſſae. Nam ad tria priora huius tituli capita legimus *Chamni* vel *Chammin*, quod eſt *debilitare*, vel membrum inutile reddere. Gothis *hamma* eſt mutilare, Suecis nunc etiam *hambla*; ſic Vlfilae *hanthamma* manu mutilatus, *halthamma*, pede mutilatus, quod in lege Salica exprimitur *China Chamin*, (i) a *Chine* vel *Schine*, vt nos loquimur *Schinbein*, (k) & ab hoc *Cham* mutilus. Sic opponuntur Tit. XXXII. §. I. & II. SICHTE & CHAMIN, vt illud ſit, ſi tantummodo *capulatum*, hoc ſi prorſus *abſciſſum* fuerit aliquod corporis membrum. Et eo ſignificatu caperem vocem *Chamni* in tribus illis prioribus Tit. XXIII. capitibus, nec interpretarer per noſtrum *Hand* manus, vt placuit Eccardo. Nondum enim certum & indubium vidi locum, quo *manus* Francico ſermone *Cham* diceretur, quicquid de huius vocis origine philoſophetur Eccardus ſi-

(i) Leg. Sal. XXXII. §. 9. (k) ECCARD. ad h. l.

ſine auctore. Nec magis cum eo facerem in explicatione Gloſſae §. III. Tituli huius XXIII. Vetat lex, ne quis mulieri *ſuper cubitum manum* ſtringat, & praeter illud, de quo modo diſputauimus, *Chamni*, adſcribitur etiam *Mane charde*, quod ex ſententia, quam recepit interpres noſter, eſſet a *mane* manus, & *churd* (ſic enim reſtituit) vel *gurd* vinculum. Sed hos *nodos*, ni fallor, ſoluimus, & a legis interpretatione procul eſſe dedimus demonſtratum. *Charde*, vt ſupra dictum eſt, idem ac noſtrum *Scharde* vel *vulnus* valet. Sic vidimus *Alachardi*, *Litſcardi*, *Orſcardi* & talia plura. *Mane Charde* igitur his ſimile, ac nihil aliud eſt, quam brachii vel manus vulneratio.



CAPVT XI.

Vnde ſit nomen ZEVGE, *teſtis, disquiritur, & quid ſibi velit in Lege Salica toties repetita vox* DELATVRA.

Mirum eſt, tritiſſimae vocis *Zeuge*, teſtis, origines obſcuritate tanta tegi, vt peritiſſimus earum indagator Wachterus nihil certi polliceri audeat. Et intereſt tamen, vt vnde illa neceſſaria iurium & iudiciorum fulcra nominentur, ſciamus. Nam quod Martinius coniecit, eſſe a voce δείκνυ *oſtendere* vel *demonſtrare*, vix ſequerer, quamuis acceptauerit Wachterus. Ego, vt a voce *ziehen* trahere melius deriuari probem, monendum prius cenſui, etiam in antiquiſſimis Germanorum legibus multa, praeſertim quae ritus & externa ſymbola tangunt, ſupereſſe, quae vel originem ſuam habent in Iurisprudentia Romana, vel ad eius ſimilitudinem caſu compoſita ſunt. Quem enim latet, Romanorum inſtituto teſtes auricula tractos eſſe. Traxerunt autem eos ſimiliter Ripuarii (a) & Boioarii (b) vt prolixe oſtenſum eſt a viris doctis. (c) Hinc *producere teſtes* noſtri exprimunt *zeugen ziben*. Ius Prouinciale Alaman-

(a) Lex Ripuar. tit. LIX. §. I.

(b) Lex Boioar. Tit. XV. §. II. & XVI. §. II.

(c) CANG. Gloſſar. v. auris. LINDENBR. Gloſſar. v. per aurem. VERPOORTEN. de inueſtit. allod. p. 47.

mannicum (d) *oder ſoll vor ſinen Herrn fahren, oder für ſinen Richter, und ſoll* DI GEZÜGEN ZIEHEN, *und andre frum lüte, di darbey ſin.* Sic in decreto Thaſſilonis (e) *zougenzuht* nihil aliud eſſe puto, quam teſtium productionem, quae fit tractis auriculis. Ita mallem, quam a Graeco δέκειν. Similiter etiam manumiſſionem per *Hantradam*, cuius mentio fit in Capitularibus regum Francorum, (f) eundem ritum eſſe puto, per quem Romani ſeruum manu prehenſum circumagebant, vt ex hoc gyro liber exiret Marcus Dama. Quemadmodum enim adhuc alii manumiſſionum modi Germanis Romanisque communes fuerunt, (g) ita hanc circumactionem in gyrum non inuſitatam fuiſſe crediderim, certe innueret tale quid *Hand* manus, & *rad* circulus ſeu gyrus. In vniuerſum de ſymbolis eiusmodi Germanicis ad Romanorum ſimilitudinem confictis multa, ſi dicendi locus hic eſſet, cumulari poſſent.

Atque vt etiam hoc caput obſeruationum noſtrarum aliquid ad Legem Salicam ſpargat, age, coniiciamus poſt tot alios coniectores, quid ſit in eius ſanctionibus toties commemorata

(d) Ius prouinciale Alamann. Cap. XXIII. §. 1.

(e) Decret Thaſſit. §. 13.

(f) BALVZ. Capit. Tom. I. p. 511.

(g) HEINECC. Elementa Iuris Germ. Tom. I. p. 35.

delatura, quod ſane eſt obſcuriſſimum. Malbergi gloſſis, quarum haud paucas expendimus, illud inter alias cauſſas caliginem offundit, quod ad ἅπαξ λεγόμενα pleraeque ſint referendae. Sed *delaturae* nomen in Lege Salica frequentiſſimum eſt, & in innumeris occurrit capitibus, & tamen difficultate ſua multarum Malbergi vocum ſalebras ſuperabit. Norunt, qui Legem illam attigerunt, omnes, quod in multis delictis, poſtquam poena pecuniaria definita eſt, illud poſtremum adiici ſoleat : *excepto capitale & delatura.* Sic. Tit. II. III. IV. & infinitis aliis. Eccardus *capitale* rem ipſam, vel eius aeſtimationem, *delaturam* ſumtus litis, quae inficiando creſceret, interpretatur. (h) Verum aut neſciuit Eccardus, quid ſit, quod in iure dicimus *lis inficiando creſcit*, aut valde perplexa eſt eius applicatio. Nec facere poſſum cum doctiſſimis viris, qui *delaturam* interpretantur *expenſas retardati proceſſus*, vt nunc loquuntur Pragmatici. Nam ſi hoc eſſet, tum non vt ordinaria praeſtatio, quae fere omnia delicta ſequitur, ſed vt contumaciae poena, certisque tantum caſibus, vbi nempe lis temere protrahitur, pendenda adiiceretur. Nullibi autem expreſſum vidi, delaturam tantum ob litium protractionem ſolui, ſed in plerisque ſan-

(h) ECCARD. ad Leg. Sal. Tit. II. §. 1. p. 15.

ſanctionibus hanc rationem legislator ſequutus eſt, vt primum delicti poenam, inde ſtatim *capitale* ac *delaturam* adiiciat, nulla morae vel protractionis mentione facta. Similiter ſubſcribere non poſſum eorum ſententiae, qui vſuras ex mora in *delatura* inueniſſe ſibi viſi ſunt. Nam ecce, praeſtatur *delatura* tunc etiam, quando ingenua puella rapitur. (i) Quanti vero ſunt vſurae puellarum ex mora?

Quare nihil aliud eſſe puto, quam pretium, quod *delatori*, qui delictum patefecit, ſoluitur. Et huius quantitas erat varia, ſecundum proportionem ipſius mulctae in delictum conſtitutae. Perſpicue ad opinionis meae confirmationem Wihtraedus Anglo-Saxonum rex in legibus ſuis: (k) & *qui eum* DETVLIT *habeat* MVLCTAE & *aeſtimationis* CAPITIS *dimidium*. Habes igitur illud trinum, quod in lege Salica toties occurrit, mulctam, capitale, delaturam a deferendo vel indicando crimen deductam. Priſco Bauarorum more iudiciorum miniſtris & apparitoribus iniunctum erat, vt obſeruarent facinoroſos & deferrent, & in diligentiae praemium tertium vel decimum mulctae denarium conſequerentur, quod dicebatur

(i) Lex Salica Tit. XIV. §. 1.

(k) WILKINS Leg. Anglo-Saxon. p. 10.

der Nachwandel, vnde vetus dictum, *man gibt dem Schergen den Nachwandel.* In terris etiam Sueuicis & Franconicis idem pretium delationis obtinuit, & plerumque *ſo viel Schilling, vmb ſo viel Pfund Pfennig geſtrafft wird.* (l)

Quemadmodum vero Romani nullum perniciolius malum in iudiciis ſuis ſenſerunt, quam illud deferendi latrocinium, ad quod lucro ſaepe maximo mali homines inuitabantur, ita noſtrates etiam in exiguo praemio mature intellexerunt, quid noceat mercenarius index, factumque eſt, vt abrogaretur periculoſa conſuetudo, quae ſaepius adparitores ad delationem innocentium allexerat. (m) Haud ſecus ac iidem Boioarii cito ſuſtulerunt iudicium, quo ſe mutuo deferre ciues iurisiurandi religione prouocabantur. Ita Codex meus Iuris Bauarici: *Es ſind auch eleiche teiding an etlicher ſtat in dem gericht vor dem puch geweſen, daz alle leut, di in dem gericht geſeſſen ſind, mit gelerten aiden muſſen ſagen vnd ſwern, was einer von dem andern gehört oder geſehen haet. daz an daz gericht gehört, di Rugung haben wir abgenomen, wann davon groſſer unwill vnd haſs vnder den lauten ge-*

(l) ANTON. WILH. ERTELII Praxis aurea p. 146.

(m) ERTEL. cit. loc.

geweſen iſt, vnd haben auch groſſen ſchaden davon genomen, wan ſi jarlich mit den richtern abdingen muſten, daz ſi dez ſweren vberhuben. Simile quid Ertelius commemorat. (n) *Rügungen ſeynd in Bayern vor Iahren inquiſitiones geweſen, ſo man jährlich im Land gehalten vnd die Leuth heimblich auff anderer Miſshandlung inquiriret worden, daraus groſſe Feindſchafft erfolgt, derenthalben durch Hertzog Albrecht von Bayrn gaentzlich aufgehebt worden a. 1365. laut des IIten freybriffs.* Seruatum eſt, vt ſtatis temporibus quaeſtores *die Rentmaiſter* prouinciam circumeant, & qua quisque praefectus fide vel dexteritate vel induſtria officium ſuum exequatur, non quaeſtionem quidem exerceant, ſed quodammodo indagent, praeſertim vero, ne Ducis reditus, iura & praerogatiuae detrimenti quid patiantur, prouideant. Plane vt apud Scotos olim obtinebat *iter Camerarii*, quo praeſertim, quam diligenter annona curetur, quaeſitum & incolas excitatos eſſe nouimus *ad calumniandos*, vt fert eorum temporum dicendi genus, *Balliuos*, *bedellos*, *guſtatores cereuiſiae*, *appretiatores carnis*, *carnifices* vel laniones, *piſtores &c.* (o)

CA-

(n) loc. cit. p. 8. Maieſt. Scot. fol. 162. ſeqq.
(o) SKENAEVS Reg.

CAPVT XII.

Coniecturae quaedam de vocibus Malbergicis ALETHARDIS *Leg. Sal. Tit. IX. §. III.* CHANASWIDO *Tit. VII. §. V. &* SOLAMPINA *ibidem §. VII.*

De omnibus, vel certe de plerisque Malbergi Gloſſis, quas hoc poſtremo libelli mei capite tangam, nihil certi promittere auſim, auſim tamen promittere coniecturas Eccardianis mitiores. Ne quis apes furari velit, cauetur Lege Salica Tit. IX. & adſcribitur binis capitibus Gloſſa *Olethardis* & *Alethardis*, de cuius explicatione mihi non prorſus conuenit cum viro doctiſſimo. Non refragabor, quando poſtremam vocis partem *hardis* a noſtro *hurde* corbis deducit. Eſt enim manifeſto ſanctio legis de *aluearibus*. Atqui etiam eos corbes, quorum in oppugnandis vrbibus vſus eſt, *Schantz-Körbe*, noſtrates dixerunt *horde* & *hurde*, migrauitque vox in barbaram latinitatem. Sic Guillermus Brito.: (a)

Mangonellorum tormentis ſaxa rotantur
Ictibus aſſiduis, HVRDICIA *fracta recedunt.*

Sed

(a) GVIL. BRITON. BARTH. ibid. p. 71. Philip. Lib. I. v. 670. &

Sed quando Noſter priorem vocis partem *Alet*, vel vt aliàs ſcribitur *olet*, mutat in *Honech* mel, vt legatur *Honech-hordis* h. e. *corbis mellis*, id ſi tibi dulce videbitur, fatebor, mihi non aeque videri, de guſtibus vero non eſſe diſputandum. Ego, ſi licet, vnicum vocabuli apicem leuiter inflecto, reſtituturus *Abethardis*. In Hannonia nomen *apibus* olim datum eſt *avettes*. Sic enim ex conſuetudinibus huius terrae patet, quarum locum Cangius (b) adduxit: *Eſpaue d'*AVETTES, *qui ſont mouches à miel*. Similiter Celtis aluearium *byda* (c) Germanis olim *beuten* (d) dicebatur. Et vt Eccardus inter duas aliquanto diſcrepantes codicum lectiones *Olethardis* & *Alethardis* illam ad veritatem propius accedere putat, ita ego hanc illa laude digniorem crediderim, & ſi tibi non diſplicent Hannonicae *Avettes*, ſine magna vi legerem *Abethardis*.

De galli furto Lex Salica Tit. VII. §. V.

Si quis gallum furauerit, MALB. CHANASWIDO *CXX. denariis*, *qui faciunt ſolid. III. culpabilis iudicetur*, *excepto capitale & delatura*.

Quin

(b) CANG. Gloſſar. v. Abollagium.
(c) LEIBNIT. Collect. Etymol. in Celticis p. 100.
(d) WACHTER. Gloſſar. v. Beuten.

Quin *Chanas* ſit ipſum noſtrum *Han* gallus gallinaceus, nemo dubitabit, nec diſſentit Eccardus. Ego vero diſſentio, quando alteram vocis partem *wido* deducit ab Anglo-Saxonico & Gothico *ſwithe* magnum, vnde olim *ſwithmod* dicebatur magnanimus. Neque enim video, cur gloſſa de gallo *magno* loqueretur, cum nihil *magni* ſit in lege, ſed in vniuerſum de gallorum furtis caueatur. Praeterea *ſwido* & *wido* non proprie *magnum* ſed *amplum* & *largum* ſignificat, vnde adhuc durat noſtrae linguae vox *weit*. Quis autem magnum gallum ſalua ſermonis indole diceret *einen weiten hahn*. Itaque *wido* nihil aliud eſſe putauerim, quam quod recentior aetas expreſſit *widde* vel *wedde* mulcta, & *Chanaswido*, mulctam pro gallo ablato pendendam interpretarer. Sic habemus *fyhtwite* mulcta pro duello, *wardewite* mulcta neglectae cuſtodiae & ſimilia ſexcenta. (e) Si ne ſic quidem tibi ſatisfiat, ſatisfaciet forte Schilterus, qui *Wido* maſculum ad coitum pronum explicat. (f) Num recte probauerit hunc vocis ſignificatum, quando inquirere iam non vacat, iudicent alii.

Finiamus tandem, quos cum anſere coepimus, luſus noſtros nunc cum gallina. Ait Lex. Tit. VII. §. VII.

Si

(e) WACHTER. v. Wette (f) SCHILTER. Gloſſar. p. 163.

Si quis gallinam furauerit : MALB. SOLAMPINAM *CXX. denar. qui faciunt ſol. III. culpabilis iudicetur, excepto capitale & delatura.*

Eſt vox *Solampina*, quantum ego idiomatis Malbergici peritia valeo, inter difficillimas, Eccardum quoque tam male habuit, vt coniecturae non tentamen adferat, ſed portentum. Ait enim poſtremas ſyllabas *ina*, eſſe noſtrum *hina*, *huno*, vel *henne*. Scriptum vero fuiſſe *gallina hina*, ex quo imperitus librarius fecerit *Solampina*. Sic vno munere nos donat emendatione violentiſſima & gloſſa, qualem vix vllam eſſe puto, hybrida, gallinam ſimul continente Romanam & Germanicam. Quid amplius deſiderabimus ? Si vero mihi aliquanto parcius graſſari, & bonam mentem, quod in his libellis diligenter caui, ſemel offendere in fine liceret, vnica litera inſerta, vna mutata pro *Solampina* legerem *Golcampina*. Nempe gallos populi originis Germanicae olim dixerunt *Gullcambi*, i. e. aurea criſta inſignes, a *Gull* aurum & *Kamb* criſta, velut eſt in antiquo carmine apud Bartholinum (g) & Keyslerum (h)

Gal um Aſom,
GVLLINKAMBI
Sa vekr haultha at hiarar

Ce-

(g) BARTHOLIN. antiqu. Dan. p. 563.

(h) KEYSLER. Antiqu. Celt. p. 161.

Cecinit circa deos
Aurea criſta inſignis gallus,
Ille viros ad arma excitat.

Ex eadem cauſſa gallinae criſta inſignes dici potuiſſent *Golcampinae.* Sed ſi poëticum tropum, quales in his non minimi ſpiritus poëtis frequentes ſunt, ab hac Malbergi Gloſſa, quae plerumque ſimplicitatem ſequitur, alienum eſſe dicas, primus ſubſcribam luſuum meorum reprehenſioni. Neque video, cur in re tam exigui momenti ignorantiam ingenue fateri tantopere pudeat! Tu ſi difficilem nodum melius extricare noſti, dic, quibus in terris inſcriptae nomine, tali naſcantur gallinae,

et Phyllida ſolus habeto!

IN-

INDEX
RERVM ET VOCVM EXPLICATARVM

A.

Abatouelentemo 72
Abazym Pedero 292. ſqq.
Abethardis 317
Acunidare, diffidare 107
Admiſſarius equus, Huichte 287
Affacturatrix, venefica 37. ſq.
Affectu, veneficium 37. ſq.
Afu, hepar Celtis 39
Aiatutti 150
Alacharde 206
Alchaltua 204
Alepimann 157
Alethardis 316. ſq.
Anamali, ſtigmata 17
Andingare & arringare 96
Animae circa ſepulcrum vagantes 274
Annulos quot & quibus digitis geſtarint Germani 193. 195
Anſeres cur in lege Salica Sundlero dicantur 12
Antonianorum porcus 53
Apes, auettes 317
Aquae frigidae probatio; an in ea mulieres nudae 162
Arbatheus en lhantamo 71. ſq.
Arbor ſacrifa 54

Arga 105
quomodo conueniat cum opprobrio cinnitus 115
Argutaritus canis 284 ſq.
Armorum tractatio interuerſa poenam vulneris grauiorem facit 232
Aslah 178
Aurappo 175 ſq.
Auribus trahere teſtes 310
Aus der Chriſtenheit ſtoſſen, quibus iniuriis hoc fiat 121 ſeqq.
Authala an ingenua 166 ſq.
Authumia 164
Auxilium qui clamantibus ferre detrectat 137 ſq.

B.

Babene 46 ſqq.
Baer, verres 58
Baerenheuter ibid.
Baesfanck 65
Barene 58
Barigalli, qui ſint & vnde dicantur 134
Baſe 129
Baſtart vnde dicatur 129
an differat a Banckart ibid.
Benuffte 142 ſq.
Beſtia natum aliquem dicere, Schelten aus der Chriſtenheit 124
Blotan, ſacrificare & mactare 55
Blotmonat, Nouember 55

Briorodero 148
Bumeda 84 ſqq.
Burgoſitto 19
Burmeda 90 ſq.

C.

Cadauer ne cadaueri ſuperponatur 40 ſqq.
Caeadute Saxonum idolum 148
Caluipilus 300
Canis argutaritus 284
philoſophus & rex 286
Canum claſſes 281
Capillati pueri 109
Capillos muliebriter religare, mollitiei indicium 109
Capita inimicorum exponere in palis 278
Capellarum furtum cur Chrenecruda 32 ſq.
Caſtrati ſues an ſacrificiis idonei 49 ſq.
Cenitus an a coeno 102 ſq.
Cerei, cur in coemeteriis interdiu non accendendi 275
Chalip ſubdupio 155
Chamni 308 ſq.
Chanaſwido 318
Chanco 290
Changichaldo 73 ſqq.
Charde 209
Chartularius, ridicula Amerpachii explicatio 8
Chauina 206

Chengiſt, qui vim puellae infert 73
Chereno, rapina 35
Chirurgi iusiurandum de metiendis vulneribus 216
Chort, turba 33
Chren, angulus. 32
Chrenecruda, variae vocis ſignificationes in lege Salica 21 ſqq.
pulueris ſicci nomen 29 ſq.
vel pulueris ex quatuor angulis collecti 31 ſq.
cur idem nomen detur gregi caprarum 34
Chriſtenheit, aus der Chriſtenheit ſchelten 121 ſqq.
Chriſtliche Scheltwort ibid.
Chrogino 33
Chrut, turba 303 ſq.
Chunnicl eura 202. ſq.
Chunnowano 285 ſq.
Cinaedus, qui culum rutum habet 104
inter Francos a partibus mulierum obſcoenis nominabatur 120
cum cane comparatus 132
Cinnitus, opprobrium 103 ſq.
Cippatica male ab Amerpachio explicata 8
Circinare equum 15
Clamores in iuribus antiquis commemorati 133 ſqq.
Clamores lege probati 135 ſq.
quotuplex eorum vſus ibid.
Clanina, dens 205

Cognati pro ſicario, qui ſoluendo impar, apud Francos tenebantur in ſubſidium 24 ſq.
ſimiliter apud alios populos & in aliis delictis ibid.
Contumaciae poena 301
Coqui cum ſacerdotibus comparati 55
Corona, tonſurae nomen 304
Cranium poculum 279
Crine, ſiccus 29
Crinis latinorum an Celtico Crine 30
Criniti quomodo Franci 112
Cruda, turba 33
Crumena cognatum deponere 24
Culum rutum habere 104 ſq.

D.

Daum, pollex, vnde dicatur 178 ſq.
Debilitates 212 ſqq.
Deformitatis ratio in aeſtimandis vulneribus habita 223
Delatura 311 ſqq.
Denarialis homo, ridicula Amerpachii explicatio 8
Deuten 282
Digitorum nomina ex L. Salica 177 ſqq.
Dolg 42
Doloris ratio non ſemper habita in aeſtimandis vulneribus 222

Drappo 178
Dumelle 180 ſq.
Dupio 157 ſqq.

E.

Edeme, iniuria 103
Enepguerch 99
Equitare, vox impudica 84
Equum pingere & pungere 13
Euangelia num ſint libelli, qui in pectore mulierum pendentes pinguntur 91 ſq.
Euangeliorum codex an ſemper in iudiciis ad iurisiurandi vſum adfuerit 98
Eura, auris 203
Explumare 296

F.

Fada vel Fata venefica 38
Fée Gallorum vide ſit 38
Ferthebero 299
Focagium 171
Focichalta 168 ſqq.
Foden 172
Fons ſacrifus 54
Franci contumaces in pagana ſuperſtitione 17
quomodo capillos geſtauerint 112 ſq.
quam caſti 120
Fraſitto 199 ſqq.
Fratres, ſorores, humani corporis membra 184 ſq.

Frauenzimmer vnde dicatur 68 ſq.
Freio ſacrificatus Verres 50
Friolagia 62
Friolaſia, num quoque ingenuarum nomen 60
Fugger, ein reicher Fugger 89
Fur cum clamore occidendus 141
Furtum oblatum 100
vſus 18 ſq.

G.

Gadales, meretrices 67
Galli gallinacei furtum 318
Gallinae furtum 319
Gantz totum, veſtigium vocis in lingua Francorum veterum 76
Gaudales 67
Geh herut! nomen iuris 27
Gemuſcht Kelch 296
Genez, gynaeceum 69
Geographicus vſus nominum, quae membra corporis deſignant 200
Gerüchte, clamor, per quem delicta cenſebantur manifeſta 138 ſq.
Glauen-Thaler 83
Grex, quot capitum iure Francico 34 ſq.
Grot, puluis 28
Grund und Grot 23
Gullikambi 319
Gynaeceum, Germanis ancillarum claſſis 69

H.

Haisterhand 146
Halunke, vnde sit 131
Hantrada 311
Haro, clamor 144
Hasemund 224
Haugbue, manes 275
Hergripa, quomodo differat ab Horgrifft 64
Heurora 64
Homicidium an iure veterum Francorum fuerit capitale 22
Hord, grex, turba 33
Horn angulus 31
Hortare, trudere 33
Hrytur 188
Huichte soneſtha 287 sqq.
Huit, an Francis veteribus octo 288 sq.
Hundsfott, an a Quensvot & quomodo factum sit 132
Huntsertin sun. 124
Hur 64
Hurensohn, atrox iniuria 117 sq.

I.

Idulgus 41 sq.
Impudicus digitus 191
Iniuriae, quibus quis indignus Christiano nomine dicitur 121 sqq.

feminis illatae grauiores 127
Iodute clamor 147 ſqq.
Iter Camerarii 315
Iusiurandum per capillos 91 ſq.
quo quis ex priuilegio ab omni perſecutione delicti nec manifeſti liberare ſe poterat 141
Chirurgi de metiendis vulneribus 216

K.

Kalmeuſer 305
Keurod, nomen iuris 27
Klamhögg 224
Klauen-Thaler 83
Kuenskur 116
Kuerſertin ſun 124

L.

Lech, medicus 194
Lechano, digitus quartus ibid.
Lemden 213
Lenechald 173
Lerechald ibid.
Lex de Chrenecruda abrogata 20 & 24
Liberti, an ingenuis pares apud Germanos 60 ſeq.
Liclamina 196 ſeqq.
Ligaturae magicae 40
Ligen, fornicari 62

Lüf, Weregeldum 77
een heel liif
een half liif ibid.
Lo, quid ſit lingua Francorum 306
Lutum, opprobrium 103

M.

Mactare & ſacrificare ſynonyma 54 ſeqq.
Maialis ſus, an a Maiumae feſto 44 ſeq.
Malberg 2
Malbergicae gloſſae num adeo corruptae, & quid in earum emendatione liceat 7
Malechano, digitus quartus 193 ſeq.
Manecharde 309
Manes circa ſepulcrum vagantes 274 ſeq.
Manifeſta delicta, quae habita ſint iure Germanico 141
Manumiſſio per Hantradam 311
Manum ſtringere mulieri 306 ſeqq.
Marcheta, num vox pudica 81 ſq.
Matewunde 220
Mauſen 295
Medius digitus 192
Membrorum humani corporis proportio 231
Menſurae vulnerum 213 ſeqq.
Meretricum ſubmerſio 161
Merhenſuhn 124
Mina 197
Mordo 294

Mordio 151
Morgengaba, quo ritu feminae in cauſis eam concernentibus iurauerint 93 ſeq.
Praemium ereptae virginitatis 99
Moſedo 294 ſeqq.
Muliebris cultus exprobratio, in maſculis atrox iniuria 109 ſeqq.
Mulieroſus cur einnitus & quintuo dictus 114
Muſſenſuhn 124

N.

Naeſe, promontorium 200
Nachſcheid 95
Nachwandel 314
Nachwidden 95
Naſtaid 91 ſeqq.
Naſus, promontorium faciei 200 ſeq.
eius abſciſſio an ſit mutilatio 201 ſq.
Natator 12
Negatio praefigitur vocibus in lingua Francorum, non poſtponitur 46
Neſthoeckel 108 ſeq.
Nickel, meretricum nomen 161
Nid atrociſſimum Septentrionalium opprobrium 106
Nidſtang 107
Niumaczd 7
Nocca, praeſes aquarum 160
Nomina honeſta in turpitudinem verſa 66
Notae pecudibus impreſſae vel inuſtae 15

Nuchala 159 ſeq.
Nunne, ſus caſtratus 58

O.

Obdopus 297
Obligatores magi 40
Obrepus 301
Obſcoena mulierum nomen ſpuriorum 116
ea oſtendere, idem ac timiditatem exprobrare 118 ſeq.
virorum, integro Werigeldo aeſtimata 207. 232 ſeq.
Oculus, cur Lichamina dicatur 197 ſeq
Olethardis 316
Orbeſe iniuria 103
Oſſium ſonus ad aeſtimanda vulnera requiſitus 220 ſeq.
Oſter - Friſchling 53

P.

Paganiſmi reliquiae an in lege Salica 43 ſqq.
Paganiſmum quam aegre reliquerint Franci 47
Pectis vel Peclin 36
Pedero 292 ſeqq.
Periurii exprobratio, ſtoſſen aus der Chriſtenheit 124
Pingere equum 13 ſeq.
Poculum ex craniis 277 ſeq.
Pollex, digitus iudex 179 ſeq.
Porticulus ſuper hominem mortuum 272

Pretium pro libertate nuptiarum ab hominibus propriis ſoluendum 81. 84 ſq.
Proportio membrorum humani corporis 232
Proportio vulnerum 211
Puluis ſiccus, chrenecruda 29
Pungere equum 13 ſeq.

Q.

Quabeldranck 154
Quintuo 100 ſeqq.
Quintuof 108

R.

Rabanal, Todtenkopff 277 ſeqq.
Ran, rapina 35
Reiff, annulus 193
Ren, rapina 35
Rep, funis 192 ſeq.
Repphano, digitus tertius 191
Reppophano, canis catenarius 282 ſeq.
Reutſchoſs, num vox pudica 81 ſeq.
Rhannechald 173 ſeq.
Riodero & ridero, qui fides vel neruum tendit 188
Ritus, quo ſicarius ſoluendo impar onus in cognatos deuoluebat 25 ſeq.
Ritus iurisiurandi mulierum de Morgengaba ſua 93 ſeq,
Ritus, quo vim paſſa iudicis opem implorabat 138
Rotta turba 33

Ruge Gerichte, abrogantur in Bauaria 314 ſeq.
Ruoda, homo plebeius 34
Rupta, cohors 34

S.

Sacrificare & mactare ſynonyma 35 ſeq.
Sacrifus ſus 44 ſeqq.
Sagitta, nauis 165 ſeq.
Sagittarius digitus 187
Schuiſara chrogino 302
Scytefinger 187
Seel-Hauſs 276
Seel-Vater ibid.
Sichte 203
Silaue 272
Solampina 319 ſeq.
Spanne 214
Spedelſpronck 224
Spirae crinium muliebres quomodo differant a nodis Francicis 113 ſeq.
Sponſas dei irginare an antiquum dominorum ius 79 ſq.
Spuriis nomen ab obſcoenis muliebribus datum 116 ſeq.
Stachala 15
Stalacha 13 ſeqq.
Stalaſthia 290 ſeqq.
Stoetvinger 215
Stringere, quid ſit in Lege Salica 301 ſeq.
Stupri violenti accuſatio 138
Stuprum ſponſae illatum 73 ſeqq.

Subdupio 157 seqq.
Sund, natare 12
Sundleno vel Sundlero, cur anser ita dictus 11 seq.
Sus sacrifus & non sacrifus 44 seqq.
votiuus 56 seq.
Sus victima foecunditatis symbolum 50
sacerdotibus dono missus 52

T.

Tanfana, vnde dicatur 189
Taphano, digitus tertius 191
Telum, virile membrum 208
Tham, pollex 178 seq.
Thamb, arcus 187
Thambriorodero, digitus secundus 181 seqq.
Theophano 282 seq.
Theu, stuprata 66
Theurora 63 seqq.
Tintinnabula porcorum 175 seq.
Tonsurae Romanae, Graecae, & Scoticae differentia 304
Tuckmeuser 300
Tumulus, Silaue 274 seqq.

V.

Vasel-Hans vnde sit 171 sq.
Veneficium, affectu 37 seq.
Verris ex pane confectus 50
Verris sacrificium 50
Vestimentorum aestimatio cur in raptu mulie-

lierum & ſtupro violento praeſtanda 140
Vettel, opprobrium vnde ſit 39
Vnciale vulnus 215
Volck, an de grege dicatur 169 ſq.
Vorwidden 95
Votiuus ſus 56
Vulnerum menſura 211 ſeqq.
Vulnus equo inflictum 18
ignominioſiſſimum in natibus 224
Vxorius, cur cinnitus & Quintuo dictus 114

W.

Wano, ſollicitus 284
Wapen, Wapengeruchte 145
Werigeldum, fundamentum proportionis in aeſtimandis membrorum laeſionibus 230
Wido 318
Widreſathalo 305 ſeq.
Wiridardi 206 ſeqq.
Wraeg 141 151 ſeq.

Z.

Zetter, Zettergeſchrey 146 ſeq.
Zeuge, teſtis vnde dicatur 310 ſeqq.
Zitterhand 146
Zohenſuhn 124
Zopf, mit Zopf und mit Bruſt 93
Zougere, Zeigefinger 182

)(o)(

AUT 13 K 778

XX
C39